

2 Biblioteca
ASTRA, Sibiu

P.C.N.

05
T1-205

item, quādām, p̄t se ferēbāti, nec p̄tā, quāsi q̄dā
convitio miseric̄ peccatoribus, exprobabant, ne atra-
cū necessitate, ac si sine iis peccatorum expiatio co-
gerē non posset, injuncta, nec certo alicui temporis pe-
riod̄, nec pro & determinato loco, yec peculiari homi-
num ordin̄ adstricte, sed Eidelium iudicio & dispositioni
ad aliam suam vocationem, ad eorum potius consolacionem perit.
Int̄q' ḡktr̄ D̄i pignora, & bon̄ conscientia
eternit̄ Pet. XI. 21, quā veterum spem in Chri-
stum vincens Medicatorem confirabant; verum
alio, cui introductus fuit ēḡc̄ īḡonii Optio vel
r̄t̄ īp̄d̄or om̄e īp̄f̄s̄im̄, t̄z s. Iusti p̄p̄ac. n̄ 272
ita populo A. Et. V. I. O. 28.
Nulla igitur ante V. T. oī
littera sunt

B·A·

5372

5.42.113.78.55.

8781

Englisch

1800-1850

missouri



1189 1351

27/

BIBLIOT

(Asociațiea pe-



ASTREI"

TURDA

ula Sibiu.

C.

1.5373

A R S HERALDICA.

Seu

Consuetudinum Heral-
dicarum, quarum crebrior passim
& usus, & in Historiis, præcipue
EUROPAEIS mentio,

S Y N O P S I S.

Collecta, & in hunc pugillum, in
gratiam imprimis Nobilitatis TRAN-
SILVANICÆ contracta.

Opere & veritate

FRANCISCI PARIZ PAPAI,
Med. D. & in alma Enyedina P. P.



5372

CLAUDIOPOLI,
Ex Off. NICOLAI Kis de M. TÓTFALU,
ANNO M. DC. XCV.



- 16 -



ILLUSTRISSIMO
DOMINO, DOMINO
STEPHANO APÓR,
LIBERO BARONI
de Alsó-Torja;

Sacræ, Cæsareæ Regiæ-
que Majestatis Incliti Gubernii
T R A N S I L V A N I C I Actuali
C O N S I L I A R I O Intimo, De-
clarato **T H E S A U R A R I O**; Sed-
um Siculicalium Csík utriusque
G Y E R G Y Ó & K Á S Z O N Supremo
C A P I T A N E O; Domino,
Domino colendissimo,
&c. &c.

DEDICATIO.



Ovum sub Cæsare,
non tam vultum,
quem unum esse
convenit, quām cul-
tum, inclyta Tran-
silvania induere parat; idque eò
facit alacriùs, quantò minùs me-
tuit, cautione tempestiva, per ir-
revocabile verbum Augustum,
publico Diplomate factâ, vim
conscientiæ vel libertatis Reipu-
blicæ suæ, non tam in provinci-
am redactæ, quām ex propensa
devotione dedititiæ.

Uni autem isti vultui, hanc se-
curitatem pacto, cultum alii ali-
unde; nos verò petimus à literis,
cui fini gradum vel maximè stru-
it,

DEDICATIO.

it, nōsse, quid ante nos actum,
quid non tam apud nos, quām
etiam alibi agatur rerum, quæ
jura, consuetudines, quis usus,
quantūm à nostris differens. Quæ
ego, dum in Historicorum prata
exspatiatus circumspicio atque o-
mnia libo, hoc Opusculum, ut
plantæ solent, citius creuisse ob-
servatum, quām crescere: in quo
quidem, nec inquilina præterii
sciens, maximam tamen partem
deforis à cultioribus accersivi:
quod trado, & his angustiis con-
strinxi; in aliis, quæ hic latius
diducenda desiderari possent, tan-
quam ulterius properans, digitii
saltēm officiō fungi, satīs esse
arbitratus sum.

Hortus est hic, quasi conse-
mi-

(a) 3

neus,

DEDICATIO.

neus, varia, sed ex singulis pauca complexus: potest hæc area, prout res aut animus feret, dilatari. Sufficit, clavem hic suspeditâsse ad citimæ vetustatis Authores intelligendos. Nec verò hæc scribo emunctioris naris Politicis, multò minùs me hic Politicum vendo, nec mihi hinc tantum tribui velim, quantum domi non conspicio; egomet enim mihi testis sum propior, dum in sinum proprium exspuo, & vires expendo: rudioribus, at mētibus bonis, duntaxat sacrifico. Peritiores alii, si domicænum fastidiunt, ubi venerint, mecum esurire possunt. Esca hæc est & illicium, nobilem imprimis juventutem Transilvanicam

hōc

DEDICATIO.

hōc dolō capere volo; & ad ea, quæ alibi sciuntur, & plēnō horreō traduntur, manu-du-cere.

Tu Illustrissime Baro, qui stri-cturam Cæfareæ clementiæ, his temporibus, sensisti non levem, dum virtutum tuarum præmia, albis, quod ajunt, quadrigis, ab Augusta Aula, ad Te, magno itinere properantibus, adeptus es: quæ Familiæ Tuæ antiquæ, novum, quem meruit, intulére, cum Dignitate, Titulum; jure merito, hunc, de Titulis, librum, in patrocinium suscipies. Et, quod Cæfari placuit, quidni Tibi debeamus minores? Patere itaque me audaculum tantisper, dum stupor meus, per Honores

DEDICATIO.

ac Dignitates Tuas, in Cæsaream
cum Majestate clementiam defi-
getur, nunquam adeò destupo-
randus. Nec hæc, quæ scripsi,
ad accuratam Critolai expendes
libram: nihil hic absolutum; li-
neamenta sunt.

Quidquid tamen horum sit,
Opus hoc, qualecunque est, ad
Te curriculô contendit. Tuâ
enim solius liberalitate & pietate,
post trium annorum longa, in
latebris, fastidia, lucem videre
potuit. Tibi hanc lucem, Ti-
bi valetudinem, Tibi vitam de-
bet. Triumphusque hic, si quis
est, Tuus est. Nobis abunde
satis est, armillis aut hastâ dona-
cis, sequi Candidum Faimæ Tuæ
turrum. Suscipe pro solita hu-
mani-

DEDICATIO.

manitate tua libens. Hecales
olim cænulam non est aspernatus
Theseus. Heracliti Ephesii vox
erat : *Etiam hic Dii fuerunt.* Si
Tibi, tanto arbitro placebit, spe-
ro fore , ut alii post Te , liben-
ter bonum hunc errorem errent.
Et hâc viâ si Illustribus quoque
aliis Patriæ nominibus sese com-
mendare queat , sufficit ; . alios
non moror, viderint, si gratiis ipsi
nati iratis , bonum studium in-
terpretentur in pejorem partem.
Spes tamen me alit hâc quoque
non obscura, Opusculi hujus be-
neficiô futurum , nè posthac pi-
ctæ Illustrium Domorum Tran-
silvanicarū Tabulæ mutæ ampli-
ùs, sed loquaces enarrent me-
rita Majorum. Vale optimè Il-

DEDICATIO.

Iustissime Baro, & Patriæ usibus
ac Familiæ ornamento, Atlas in-
concusse, diu supera. Interea
sub hoc novo Transilvaniæ non
tam vultu quam cultu, hoc u-
num

*Orandum est, ut n'il sit Cœsare triste
recepto.*

Enyedini (quæ
olim Annia Via)
1695. 10. Mar.

*Humillimus, at de tanti He-
rois Patroni favore gloria-
bundus servus*

FRANCISCUS P. PAPAI,
M.D. & in alma Enyed.P.P.

AD



A D

*NOBILISSIMUM, CLARIS-
SIMUM ac EXPERIEN-
TISSIMUM VIRUM*

D. FRANCISCUM P. PÁPAI,
Medicinæ Doctorem, ejusdem-
que Facult. BASILEÆ Assefforem,
& in Illustri Collegio N. Enyediensi Phi-
losophiæ Professorem;

EPISTOLA GRATULATORIA.

Quicquid est Beatitatis hu-
jus vita, in Pace Animæ
& Corporis consistere, quia
nonnisi altiores Animæ, quæ solæ ve-
ram Realitatis & Perfectionis ideam
formare ac excolere nōrunt, assequun-
tur; si quis humiliores etiam, inopes-
que Animas, tantæ Beatitatis, viâ
expeditissimâ capaces reddat, publicis
(a) 6 votis

EPISTOLA

Votis beatissimus meritò estimabitur.
Pax Animæ, clar° idearum in & extra
se contemplationis Schematismus , cum
reflexione ad se suique originem , &
deliciatione in iisdem conjunctus , in omni-
bus hujus vitæ difficultatibus , ingens
dat solatium , pacemque immobilem ;
dum enim Creatoris sui in se contempla-
tur imaginem , quicquid cum hac non
convenit , Esse suum , nec constituere ,
neque destruere evidenter animadver-
tens , ultrà , quam par est , se afficinou-
patitur , altâque gaudet pace.

Uti & elegans Machinæ Automaticæ,
Corporis scilicet humani strucitura , & qua-
bilis ac in se rediens fluidorum circula-
tio , cum ordinata partium solidarum
harmonia , imperio sui Rectoris accom-
modatissima Pacem Corporis constitu-
it , priori subordinatam .

Pacem hanc utrinque , Pace hujus
Mundi nobiliorem , dum Genti Tuæ , Pa-
cem Civilem , posteaquam cum Morbis

GRATULATORIA.

Politicalis diu colluctata est, sub Rege suo, pio, felici, glorioſo, Patreque Patriæ, anhelanti, arduo labore, faciem monſtras Vir nobilissime, tantæ Pacis Caduceator Laureum Sertum votivo cunctorum applausu ut accipias, dignum est, imò dignissimum. Leges Pacis, modumque eā potiendi nobilissimæ hominis parti, Animæ, in eleganti Traſatu de Pace Animæ, quia præmisisti, restabat, ut integra Pace hominem beares, & Corporis ſubjugere: quam etiam ceu fidelis publicæ sanitatis Cūſtos, altera vice emendatiorem ac locupletiorem prodire voluisti. Pax Civilis eō validior ac durabilior, quò tam intestini Reipublicæ turbatores, quām extermi hostes ſimpliciſſimè aut è medio tolluntur, aut arctiſſimè nullis evadendi prætextibus relitti circumſcribuntur: Pax Corporis sanitas, tantò pariter validior ac durabilior, quantò Morbi hostes œconomiæ animalis tam interni;

(a) 7

quām

EPISTOLA

quām externi, præsentiori apparatu,
simplicioribus scilicet pharmaci supera-
ri, vel etiam præveniri posse, luculentis-
simè à Te docentur. Et ut cunctos Pa-
ce hāc frui posse ostenderes, particulari
atriusque sēxūs ac ætatum securitati
abunde consuluisti. Media Pacis Tuæ
simplicissima sunt: quis enim non animad-
vertat simplicissimam Naturam simpli-
cissimis gaudere, nisi ad ejusdem lu-
men cæcutiens? plusque proficere Me-
dicum rationalem ratione infallibili, sim-
plicia sua adhibentem, quām ulnæ lon-
gitudine pharmacorum farraginē, cor-
radentem, seque & suæ artis peritiam
credulis ostentantem.

Per placet mihi, quòd & Morbos Bar-
bitonorum manibus infelicissimè hæte-
nus tractatos, eā, quā cæteros, peritiā,
evellere ac exterminare contendas: hæc
quippe seculi nostri, cæteroquin infeli-
cissimi, felicitas est, quòd explanatis an-
tiquis rugis eum Medicina assequatur

GRATULATORIA.

nitorem perfectionisque gradum; ut ratione duce, experientia adstipulante Morborum Causæ & Curationes non minus evidenter demonstrari possint; quam Geometris suum, trianguli tres angulos æquales esse duobus rectis: Præter quam, quod quicquid priorum seculorum barbarie à Corpore Medico avulsum est, restitutum id & ab enormous vulgi erroribus vindicatum, sub superbiat evidentiâ.

Chirurgia est, quæ contemptim idiotis olim demodata, insignium hodie Medicorum radiis illustrata, Corpori suo, Medicinæ rationali, rationaliter tractanda, à Te quoque eleganter annetitur. Tradidisti uno libello Nationi Hungaricæ, cui antehac nunquam hæc felicitas suâ lingvâ obtigit, quæ grandi Volumine, variisq; disputationum anfractib; aliis Nationib; innotescunt; sed plus adhuc ultrà. Pacem quippe utriusque, Corporis scilicet & Animæ nobilitat

Pax

EPISTOLA

Pax Hominis, quatenus Civis est &
Societatis Pars: quæ ut suum cuique
constet, sollicitè requirit. Dum Titu-
lis, Officiis, Prærogativis, Insignibus
& Consuetudinibus ad vota & ambitio-
nem satisfit, quis plus prætendat,
multò minus arma vibret? Ars hæc
HERALDICA, quam Juventuti Tran-
silvanicæ in exterorum moribus peregri-
næ, detegis, insigne prioribus tuis meri-
tis superaddit pondus. Quid enim ma-
gis expedit, quæm homini sano & re-
bus suis gaudenti aliquid de moribus
aliorum populorum nōsse, ut incorrupti-
us de suis judicet, nec quicquid ab iis
abludit, statim pro ridiculo atque inepto
habeat; ut solent ii, qui nunquam ex
natali solo discesserunt. Felicitatem
hanc, quam fæcunditate ingenii Tui af-
secuta est, dum Gens Hungarica agno-
scet, gratulabitur sibi, suisque; Tibi ve-
rò ætermum debitorē cum æstimatissima
Nominis Tui memoria se fore profitebi-
tur;

GRATULATORIA.

*tur; imò dolebit imposterum, dignas
quòd meritis Tuis in gremio grates non
persolverit; cuius loco, post mortem Te
faciet perennem. Ita auguratur Cla-
rissimi nominis Tui*

Cibinii Trans.
xv. Cal. Mart.
M. DC. XCV.

Cultor perpetuus

SAMUEL KÖLESSERI,
L. A. M. Phil. & Medic. Doctor,
Medicus Provincialis & Practicus
Metropolitanus Cibinien. &c..

Honori Clarissimi Domini Aucto-
ris, Collegæ venerandi.

Audi inter paucos Phæbi memorande
fodales,
Hoffmanni eloquiō dicende & carmine
vatis,
De Papa FRANCISCE PARIZ, Cla-
rissime Doctor!
Ella Tuæ mentis vis ignea, ped^o Honesto
Inco-

Incoctum generoso illud, latè illa patētis
Munera doctrinæ, Patriam quibus impi-
ger ornas,

Ille styli decor, & veterem redolentia
Romam

Verba, ac Musarū sua quæ Hellas Pa-
tria dicat,

Illa per antiquas diffusa scientia Mundi
Æstates, penetrās abstrusa, et plurima luci
Quæ latuere diu, populorū gesta redonās;
Me jubet, invitā quamvis, tentare, Mi-
nervâ

Indocētos numeros, & ineptum dicere Car-
men. (Poëtis:

Non ego ab excelsis veniam hic orabo
Sint cincta licet; bona sunt verba omnia
Amoris.

Pacem Animæ & Pacem turbatis
reddere membris

Hoc opus, hic labor est. Tibi sostrum
Pannoniæ hospes

Danubium Dravumque bibens, undasq;
Tibisci

Piscofi, ripasque novâ cumulantis arenâ
Szamo-

Szamosii, debet: quod Transilvanie
Mater,

Degeneri haud nato, prompta & cum
fænore solvit.

Instruxisti Animam, dein' ægris grande
tulisti

Auxilium; totus nè non obnoxius esset
Carne, animaque Tibi constans Homo:
nunc ea pandis,

Quæ discat vasti non sordid^o incola mudi.

Non aliâ melius subigas in cote feroceſ
Atque hebetes animos, pulchræ ut com-
mercia laudis

Et Virtutis opes, excussō ſponte veterno,
Artibus ingenuis querant; quam si quod
in iſto

A variis variâ geritur virtute theatro,
Lustrandum exhibeas oculis. Trahit iſta
voluptas,

Et generofa ſitis plura ac meliora ſciēdi
Augetur, pleno donec ſe extinxerit alveo.

Qui veteranum tituli Heroū? qui Mi-
litum Honores?

Præmia virtutum, que ſint emblemata
pulchræ

Aut

Aut Arti, aut Marti data fortis significando? (nus)

Quō miles (de sole redux & frigore, vul-
Uxori natisque ferens, laniataque ferrō
Ora:) solet clypeō ornari? quā casside?
picta

Quid certō numerō, atque situ, solitoque
colore

Arma velint? olim frustra monitura
Nepotes

Degeneres, luxu imbelles; quorum mo-
dō ubique

Surgit lēta fēges, Signorū ignara suorū.
Hēc, dum cuncta elegans pandit Liber
iste, minerval

Poscat jure suo! sed nīl turbabit, Avare
(Pone metum) vestrarationes; flagitet
unum hoc,

(Subjectisq; tuos fodiat calcarib^o armos,
Sponte tuā spartam, nascendi forte tri-
butam,

Qui non vis ornare) Patres in stem-
mate claros

Esse

*Esse Tuos virtute proba : Mox expri-
me factis,*

*Quæ crebro sermone agitas Heroica A-
vorum*

*In Patriam merita : A Veneris Bacchi-
que palæstrâ*

*Converte attritas in publica commoda
vires :*

*Arma ita pingue Patrum , Pompamque
ita finge sepulcro :*

*Sic meritò Titulis & Honoribus utere !
Discas,*

*Quid populi , quid Regna agitent vici-
na. Remota*

*Tangere enim , atque foris menses bis
quinque morari*

*Visa domi Virgo prohibet , jam nubilis ,
atque*

*Dote placens lautâ : Procul à Patria ef-
fè , noceret ;*

*Namque procis bona verba daret præ-
sentibus : unâ*

Sic Tua in amissâ spes virgine, decollaret!

Scilicet! hæc pueros modò præcox cura
fatigat,
Fixa bona menti crux, fatalisque pa-
randæ.
Si tamen à Patriâ esse procul, piget,
utere libris,
Castra, Urbes, Aulas, Mare. Terram
invise sedendo;
Exige florentes non planè inglorius
annos.
Annales veterum, & varios ediscere
ritus
Ingenium ornabit, mores formabit, &
illud
Præstabit, Patria nè sis ignotus in ipsa.

L. M. Q. consecrat,
STEPHANUS ENYEDI.





INDEX CAPITUM.

C A P.	P A G.
I. <i>De Majestate.</i> - - - - -	1
II. <i>De Dignitatibus.</i> - -	4
III. <i>De Familiis.</i> - - - -	11
IV. <i>De Nominibus.</i> - - - -	18
V. <i>De Titulis.</i> - - - - -	25
VI. <i>De Reverentiis.</i> - - - -	38
VII. <i>De Præcedentiis.</i> - - - -	49
VIII. <i>De Inherentibus Corpori: ubi Naturalia, Vulnera. Colo- res, Ungues, Capilli, Bar- ba, &c.</i> - - - - -	56
IX. <i>De Vestibus.</i> - - - - -	70
X. <i>De Coronis.</i> - - - -	100
XI. <i>De Annulis.</i> - - - - -	111
XII. <i>De Pensilibus Instrumentis.</i>	118
XIII. <i>De Manualibus Ornamen- tis.</i> " " " " "	132

INDEX CAPITUM.

XIV.	<i>De Insignibus, &</i>	
I.	<i>De Scutis.</i>	- - 149
II.	<i>De Galeis.</i>	- - 159
III.	<i>De Tenuis sive Le- mniscis.</i>	- - - 164
IV.	<i>De Coloribus.</i>	- - 166
V.	<i>De Figuris Insignium.</i>	
XV.	<i>De Præcipuis Insignium Exem- plis.</i>	172 - - - - - 181



ARS HERALDICA,
feu

De Insignibus Doctrina.

C A P U T I.

De Majestate.

MAJESTAS est in civitate ubique summa potestas. Hinc superiorem non agnoscit, nec ab eo provocare licet. Majestatem autem non constituit extensio lata, potest enim esse in unaquaque civitate; sed sola summa potestas.

Majestas est Realis vel Personalis. *Realis* consistit in Legibus fundamentalibus Imperii sive Regni, quae sunt basis Reipub: quae nimurum unà cum Rep: natæ, & non nisi Imperiō collapsō intereunt.

A

Per-

Personalis Majestas est, quæ in certam personam confertur. Et cum Reali hæc coincidit.

Majestas verò *Personæ* ita nonnunquam confertur, ut nihil potestatis maneat penes populum. Et hic modus regnandi Politicis vocatur *Abdicativus*; sic in Gallia, Turcia, &c. Nonnunquam autem confertur salvis Legibus Reip: fundamentalibus. Et hic modus dicitur *Communicativus*, seu potestas communicativè concessa. Ita in Anglia, Hungaria, Transilvania, &c. In priori forma, Majestas omnibus Legibus civilibus (nam Divinas excipimus,) soluta est.

Majestatem constituunt Jura Majestatis, quæ vulgò *Regalia* vocantur. Quorum primum sunt *Leges*: quas condere & easdem explicare, corrige-re, imò etiam, si placet, abrogare, penes Majestatem est.

Secundum Jus Majestatis est, potestas constituendi Magistratus inferiores.

res. Privata persona hoc non potest; privato enim in privatum, nullum jus est, nisi concessum à Majestate. Hic Romani olim ætatem quoque exigeabant. Hinc Consulatus ante 43. ætatis annum geri non poterat, quemadmodum etiam Prætura ante 40. Quæstura & Ædilitas ante 27.

Tertium Jus, ut in Majestate provocatio extremè finiatur, nec ab eo appellatio fiat. Hinc penes Majestatē est, minoris Fori sententiam invalidare, annihilare, corrigere, confirmare.

Quartum Jus est Privilegia concedere. Sic Imperator Romanus habet jus creandi Reges Principes, Comites, Barones, Nobiles, &c.

Quintum Jus Majestatis est pacem cum vicinis pangere, & Bellum, cùm res postulat, indicere.

Personalis Majestas aliquando est penes unum, ut in Statu Monarchico, qui etiam optimus & omnium maximè naturalis, aliquando penes

Optimates, ut in statu Aristocratico; nonnunquam penes Populum, ut in statu Democratico.

C A P U T II.

De Dignitatibus.

DIgnitas est major vel minor. Inter majores excellit Imperatoria. Hæc ab initio viguit, licet postea solium Papæ thronis Imperatorum sit antepositum, & quidem sub anatheme

Imperatorem intelligimus Monarcham Romanum: Imperatoris enim Titulum Turcarum Sultanus abusivè sibi vendicat. Id apud Romanos non semper summæ Dignitatis nota fuit; Belli Duces enim communiter olim Imperatores dicti sunt.

Imperatorem in Dignitate sequuntur Reges, quemadmodum post Papam statim numerantur Cardinales, quorum consilio Ecclesia Romanô-Catho-

Catholica, tanquam cardine ostium, regi creditur; nec præsunt singuli territoriis, sed degunt solum Romæ, cum authoritate & splendore.

Hinc *Archi-Episcopi*, quos sequuntur *Episcopi*, & hos *Abbates* sive *Prælati*; qui omnes magna magnorum Principum Dignitate gaudent.

Post Imperatorem tamen immedia-
tè *Electores* Imperii recensendi, tan-
quam qui proprius Imperium post Im-
peratorem spectant & curant.

Horum alii Ecclesiastici, alii Secu-
lares. *Ecclesiastici* sunt, *Moguntinus*,
Trevirensis & *Coloniensis*: omnes Ar-
chi-Cancellarii; ille Germaniæ, iste
Galliarum, hic Italiæ:

Treviris ætate, sed rerum proprietate
Gaudet *Agrippina*, sed honore *Moguntia* prima.

Seculares sunt, *Rex Bohemiæ* S. R. I.
Archi-Pincerna: olim Archi-Dapifer
fuit; quod postea Electoris Palatini,
& hodie Bavari est. *Elector Saxo* Ar-
chi-Mareschallus. *Elector Brandebur-*

gicus est Archi-Camerarius. Hodie
Elector Palatinus Titulum gerit Ar-
chi-Thesaurarii.

Omnis Principali potestate gaudens
cōmuni vocabulō solet appellari *Prin-
ceps*. Principes autem *Seculares* qui-
dam sunt *Duces*, alii etiam *Archidu-
ces*. *Archiduces Austriae* excellunt,
& Privilegiū supra omnes alias gau-
deant. Sunt præterea dicti *Magni Du-
ces*, quales numerantur tres: *Magnus Dux Moschoviae*, *Magnus Dux Hetru-
riae*, *Magnus Dux Venetorum*.

Ducum Dignitas olim etiam Co-
mitum honore minor fuit: soli enim
Militum Præfecti hōc Titulō insigniti.
Hodie verò Ducum nomen plus sonat
etiam Principe stricte dicto.

Princeps Moscoviae per excellenti-
am vocatur *Magnus Dux*, quem suā
lingvā *Tzar* vocant: unde abusi vo-
cabulō quidam eum *Cæsarem Moscho-
vitarum* appellant; sed perperam. *Ve-
netorum Dux* quoque *Magnus* audit:
in quo,

in quo, ut Contarenus loquitur, ubique *Regis* speciem intueri possis; potestatem verò nusquam: pompâ enim & ornatu Rex est, potestate Senator, in Urbe captivus; nec enim licet ei injussu Senatûs urbe excedere.

Duces sequuntur *Marchiones*, à Marca sive finibus olim sic vocati. Magna eorum in Gallia frequentia, in dies minuit majestatis splendorem.

Post Marchiones numerantur *Comites*: inter quos excellunt *Comites Palatini*, de Palatinatu investiti. Sunt etiam *Comites Palatini* dicti minoris fortis, & homines magnam partem privati: sic dicti, quod Imperatorum palatia honoris causâ observare & frequentare debuerint. Magnus talium in Imperio Romano numerus. His concessum jus creandi Notarios publicos, legitimandi spurios, creandi Nobiles, Poëtas laureatos; &c.

Comites sunt vel *perpetui*, quales & in Hungaria multi; vel *temporarii*,

Comitatibus ad tempus præfecti.

Comitibus accensentur *Land-Gravii & Burg-Gravii*: qui Tituli olim minoris erant fortis, utpote certi Districtus aut Arcis Præfectorum; hodie tamen iis magni Principes gaudent. Sic *Land-Gravius Hassiae*, sic *Elector Brandenburgicus* scribit se *Burg-Gravium Noribergæ*.

Comites excipiunt *Liberi Barones*, idest è Nobilitate primores. Hic Titulus nec nimis vetus, nec ubique obtinet. In Germania & Hungaria pauci; in Anglia multi; in Gallia fere nulli. In Transilvania, Terra aut Districtus *Fogaras, Kövár & Torotzkó* Liberi Baronatus sunt. Ab Anglis inventa non ita pridem Baronettorum Dignitas; nusquam alibi in usu: sic dicti, quasi Vice-Barones.

Huc pertinent *Feuda Imperii Regalia*, quæ à solo Imperatore immediatè vel mediatè dependent, ab eoque petuntur & investiuntur, eumque solum Judicem habent.

Feu-

Feudis istis investiti *Vasalli* dicuntur Imperatoris, eiisque juramentum fidelitatis præstant; & per hoc vasallagio obstricti dicuntur. Omnes enim ditiones Romano-Germanici Imperii, vel mediatè vel immediatè, ab Imperatore dependent.

Feuda hæc sunt vel Ecclesiastica, vel Secularia. *Ecclesiastica* sunt: tres Electoratus Ecclesiastici, Archi-Episcopatus, Episcopatus, & Abbatiae.

Secularia sunt: Regnum Bohemiae, Electoratus Seculares cæteri, Archi-Ducatus Austriae, Principatus, Ducatus, Land-Graviatus, Marchionatus, Burg-Graviatus, Comitatus & Baronatus.

Sunt etiam imperii Vasalli extra Terras Germanicas degentes: ut Rex Hispaniae ratione Comitatûs Burgundiæ, qui in Comitiis & Sessionem habet & votum, & ad ordinaria Imperii onera contribuit; Rex Sveciæ; Rex Daniæ ob Ducatum Holsatiæ; Dux Lotharingiæ; Mantuæ; &c. Hi non di-

cuntur Vasalli Imperatoris; licet sint Vasalli Imperii: nam aliud est subesse Regi, aliud Regno. Sic Transilvania subesse potest Regi Hungariæ; non tamen per hoc subesse putanda Hungariæ Regno. Sic Regnum Neapolitanum subest Regi Hispaniæ, non Regno. Vasalli Imperii contrà etiam extra Imperium degentes, in tantum subsunt non tam Imperatori quam Imperio.

Modus tradendi hæc Feuda, vocatur *Investitura*: quæ à parte Ecclesiasticorum fieri olim solebat per Annulum; hodie per Sceptrum. Seculares Vasalli Feudis investiuntur per Vexillum aut Gladium, aut utrumque simul.

Omnium præterea dierum exemplum est, Rusticos civitatis fieri participes, ut natos cives: Ita Cives vicissim suos posteros generosos redundunt, ut Nobiles: Nobiles Illustrissimatus Titulum nanciscuntur: Domini in Comites, & Comites in Princi-

pes abeunt: Duces Reges à Cæsare declarantur.

Contrà aliquando Dignitas decrescit, & fiunt Degradationes in pœnam. Degradatio in Ecclesia Romana est pœna, quâ Clericus ordinis sui Insignib^o & Titulô Clericali, per Episcopum aut ejus Vicarium coram Judice Seculari, cui postmodum traditur, privatur. Episcopis verò degradatis vestimentum Sacerdotale omnino disrumpitur.

Nobili degradato Princeps scindit ensis, quô ad renes accinctus est, corrigiam, ita ut corrigiâ incisâ, ensis per se cadat in terram. Sic ille, malis suis meritis exigentibus, perpetuò degradatus habetur. Ita fere & miles exautoratur, in pœnam.

C A P U T III.

De Familiis.

INchoantur *Familiae* in aliis *Naturâ*, & vocatur *Consanguinitas*; in aliis

Lege, quæ Adoptio; in aliis etiam *Pactis*, quæ Confraternitas dicitur. Sic Hortensii optimi Oratoris Nepotem maxima liberalitate juvit Augustus, ut uxorem sed dignam ducere posset; ne illustris Familia deficeret: qui postea adoptantis Cæsar is filius fuit. Sic Gentilitia pacta seu Confraternitates fiunt inter illustres Familias, alias sine stirpe decessuras, de successione: ut alterutra stirpe extirpata, Ditiones, Jura, &c. alteri prosapiæ cedant, ad ejus Familiae conservationem.

Eâdem Familia circumscripti suæ **Gentis**, Nominis, Insignium seu Armorum, Dignitatum & Honoris inde derivati participes fiunt; ut Filii, qui sunt paterni corporis portio, ejus sequantur conditionem: ita ut & Pater nondum nobilitatis Insignibus donato nati, Nobiles tamen fiant, & in bona succedant.

Non tamen horum æquè magna apud omnes ratio. Illud inæstimabile

bile ducunt Hispani, etiam pauperissimi. Persæ de Familiis nobilibus sumimè glorianter. Turcæ planè non curant. Chinensibus Principes, qui sapientes, omnes promiscuè, & nihil hac in parte æstimant, præter stirpem Regiam. In magnis Civitatibus & Rebus p. solorum Patritiorum stirpes Familias appellant, & qui ex tali stemmate, Familiatos vocant.

Majores vulgò sunt, qui supra Tritavum numerantur. Et vulgò in plerisque Regionibus ii demum Generosi dicuntur, iis publicis conventibus interesse, Commissionibus fungi, Equestrem dignitatem consequi, &c. licet, qui sedecim Majores suæ Familiaæ Nobiles aut Illustres recensere possunt; alibi tamen sufficient octo; alibi quatuor, &c.

Et qui pauciores Majores narrat, minoris habetur inter genere prævalentes, qui ideo dicti *Generosi*. Licet primum nobilis Familiaæ esse satius

fit, quām ultimum; & Virtute potius, quām sanguine niti.

Patres alios certæ demonstrant nuptiæ, tam Parentes quām Vitricos; alios faciunt summi Principis Rescriptum, aut Imperium Magistratūs: Illi *Arrogantes Patres*, hi *Adoptantes* dicuntur.

Patrum conditionē *Filii* induunt: fieri tamen potest, ut quis originem Matris & nomē atque Signa gentilitia sequatur, locō malefici Patris, cuius gravis memoria.

Non autem Patris tantūm, sed & ipsius Matris Majores pro Majoribus Filiorum & Nepotum habendi sunt. Hos *Cognatos* appellamus; Patris verò lineam *Agnatus*. Germani Agnatorum mentionem Ensis, Cognatorum verò Fusi allegatione facere consueverunt. Hinc, Linea Ensis, & Linea Fusi.

In Familia præterea vocantur alii *Ascendentes*, ut: *Patruus*, *Avunculus*, *Anita*,

Amita, Matertera, Patruus magnus,
Proavunculus, Abamita &c. qui omnes
Parentum officiō funguntur; alii De-
scendentes, qui Filios referunt, ut: Ge-
ner, Nurus, Progener, Pronurus, &c.

Majoribus opponuntur *Posteri*, qui
& *Minores* & *Nepotes* dicuntur.

Filios justæ nuptiæ demonstrant,
eosque vel in Familia natos, qui *Gna-*
ti, Naturales, Legitimi, Suique dicun-
tūr; vel *Privignos*. *Privigni* cum ali-
is Arrogatis Adoptatisque adsciscun-
tur tantūm, in Familiam.

Naturales sunt hæredes Conditionis Patrum; hinc ex Ducibus Duces; ex Comitib^o Comites; &c. Ast ubi Primogenituræ jus viget, sicut in-
æqualis in bonis successio, ita non omnes Filii æquè honorati. Sic Regum & Electorum Filii ætate maximi, quòd soli Reges fiant & Electores, solent vocari Regentes Principes.

In Britannia mos est, ut Procerum, nisi sint Principes Sangvinis Regii,
(vul-

(vulgò Pares) Secundogeniti , nullam vel Ducis vel Marchionis , vel aliam Patris Dignitatem consequantur , quoad Primogenitus superstes est . Equestri Dignitate tales contentos esse oportet : hi vulgò *Cadetti* vocantur , omnes scilicet post Primogenitum nati . Mortuō autem sine hærede Primo- genitò , Secundogenitus consequitur omnia Jura : ut nuper mortuo legitimo hærede in Anglia Carolo , succef- fit Jacobus Frater . Sed nec ætate ma- ximus fruitur Dignitate , vivente Pa- tre , sed solam Equestrem obtinet ; vel si Parens id indulserit , Vice-Co- mes , aut Baro appellabitur .

Filiī ex illegitimo thoro nati , si sint privatorum , communiter *Spurii* ; si Principum , solent appellari *Naturales* & *Bastardi* . Ducum Burgundiæ Na- turales , gloriæ olim sibi ducebant , *Bastardos Burgundicos* dici : ita etiam scribebant , nomen hoc , Ducum & Marchionum Dignitati præferentes .

Natu-

Naturales seu Bastardi Regum Galliarum, excepto successionis casu, statim fiunt absolute legitimi. In Hispania Bastardis beneplacitum Regis est sufficiens, ut & in Imperio, Cæfaris Rescriptum.

Proximi Collaterales seu Transversales, in Familia, sunt *Fratres*; quorum alii *Germani*, alii *Consanguinei*, *Uterini*, *Comprivigni*, *Conadoptati*. Ita & *Sorores*.

Fratribus *Patruelles* atque *Confobrini* sunt proximi. Cæteri, ut diximus, ascendunt aut descendunt.

Plerique *Generosi*, licet nulla sanguinis necessitudo intercedat, sibi multò *Cognatorum* aut *Agnatorum* appellatione solent esse accepti, imò & *Fratrum*. Ita quoque vocari solent Eletores, Seculares pariter atque Ecclesiastici, ab Imperatore vel *Agnati*, vel *Cognati*: quam appellationem ducunt summè honorificam.

Post nuptias veniunt *Affinitates*.
 Hinc *Conjuges*, tanquam una caro,
 sunt proximi, novæ Familiæ caput.
Uxores splendid Maritorum radiis:
 hinc Clarissimarum personarum Cla-
 rissimæ, *Uxores* Illustriorum, solent
 appellari *Conjuges Domini*.

In servos olim Matrimonii appella-
 tio non cadebat: hinc dicti sunt non
Conjuges, sed Contubernales.

CAPUT IV.

De Nominibus.

Solent plerumque Filiis Parentum
 aliorumque Consangvineorum
nomina imponi: quod & apud He-
 bræos usu venit. Christiani nomina
 recipiant cum Baptismate. In mul-
 tis Germaniæ provinciis imponuntur
 infantulis ut plurimum nomina susce-
 ptorum, qui semper ejusdem cum in-
 fante sexûs, duo adsciscuntur, & u-
 nus diversi.

Fami-

Familiæ nonnullæ illustres idem *Prænomen* constanter observant, ut *Caroli*, *Ludovici*, &c. ad feros nepotes. Alibi verò, nec id infrequens, duo *Prænomina* videas, ut : *Carolus-Ludovicus*; *Fridericus - VVilhelmus*; *Johannes-Georgius*, in Electorali Domo Saxonica; &c.

Cognomina sunt toti Familiæ communia, ut *Betleniorum*, *Apasiorum*; &c. & quidam hæc nomina putant esse magis propria. Olim fuerunt *Cognomina* fere nulla. *Cognomina*, quædam Nationes præponunt, ut promiscuè Hungari; aliæ postponunt.

Cognomina Principes à suis plerumque *Ditionibus* trahunt; Nobilia multi de suis Pagis: nec interest, adhuc teneant, an viderint nunquam. Hinc plerisque *Cognominibus*, præcipuè Germanorum, particula *de*; si verò sint in dominio, *de* & *in* adduntur. Paucissimæ Generosorum in Polonia sunt Familiæ, quarum *Cognomina* non in *czki* finiantur. Alii

Alii aliunde petita Cognomina habent, saepius ut virtutum præmia: sic *Frangapanii*, *Keményii*, *Vitézii*; &c. Ita *Bæro Scharbius* Polonorum Legatus, quod aureum auro Cæsareo annulum addidisset, gratiis ab Henrico V. Imperatore actis, in suos posteros *Habendanckiorum* nomen illustre misit.

Moschovitæ, & alii quidam Populi, ut & nostri Siculi, Patris Prænomen sibi Cognomen capiunt: est hoc ipsis quoque Moschovitarum Principibus æquè solitum. Sic *Ivan Basiliots*, Dux Moschoviæ Magnus est Filius Basiliï; hujus Ivani verò Filius vocatur *Ivanovits*. In Anglia, Dania, Svecia & alibi plebs idem facere consuevit: sic filius Johannis *Janson*, Wilhelmi *Willemson*, Andreæ *Anderson*; &c. Hebræi quoque Cognominis loco, suorum parentum filii votati sunt: *Saul filius Kisi*, *David filius Isai*; &c.

Expo-

Exposititiis spuriis, quorum parentes Magistratus non potest expiscari, plerumque loci, aut alicujus alterius circumstantiae appellationem pro Cognomine imponere usu-venit. Privati ut plurimum Cognomina ex dulcis patriæ mentione asseverantur.

Huc pertinent *Agnomina*, quæ sunt nomina, in primis ad alicujus rei memoriam indi solita, saepe in Principibus grati subditorum erga eos animi testimonium. Sic Alexander, Constantinus, Carolus, Otto, Henricus, à rebus gestis, *Magni* appellati: Sic olim Cunctator Fabius, *Maximus* est proclamatus. Artaxerxes *Mnemon*; &c. Ptolomæi, *Philopator*, *Philometor*, *Philadelphus*, *Evergetes*; &c. Acceperunt etiam *Agnomina* à corporis habitu, sic Artaxerxes *Longimanus*; Caroli *Crassus*, *Calvus*; Henricus *Niger*. Henricus *Auceps* verò Cognomen accepit, quod dum Imperator salutaretur, Brunsvici avibus insidiatus esset. Sæpe

Sæpe & in Scholis à petulantibus, in aulis à famulis, inter milites ab otiosis tyronibus imposita per ludibrium nomina, ita inhærent, ut quasi in genuina, extrusis pristinis, migrant.

Totis quinetiam nationibus, Regionibus, Civitatibus in ludibrium data nomina diu sæpe, & cum injuria, etiam in membris, hærent.

In India *Taxilis* nomen à throno non abibat, nomen singulis Regibus commune. Ita olim in Ægypto nomen *Pharaonum* & post Pharaones *Ptolomæorum*.

Nomina autem, ut data sunt, variè etiam possunt mutari; imò extingvi. Ultimus Familiæ Generosæ, nomen Familiæ sècum terrâ condit, quod & solenniter à tumulo adstante Heraldo seu Nobile clara voce proclamari solet, cum Insignibus fractis & ineptis sepulcro.

In Papis Romanis recens creatis, qualiacunq; antea nomina tenuerant, non

non tam extingvuntur, quām non ampliū ordinariē usurpantur, assumpto ad arbitrium nomine alio ultimo, nec ampliū mutando. Ita qui non ita pridem sedit Pontifex, ex Odeschalciana Familia illustri prognatus, *Benedicti* nomen in baptismo acceptum, in *Innocentium XI.* mutavit: quod inde à Sergio II. Papa inolevit, qui ante Petrus Buccaporcius seu Os Porci vocatus, Papa factus, fœdum hoc nomen in Sergium commutavit. Ita Adoptati & Uxores, Familiæ paternæ nominibus rarissimè vocantur. Honoribus quoque præditi, non toties nominibus, quām Dignitatis officiique Titulō appellantur. Quod & in opificibus vulgò observamus. Juðæi cùm graviter ægrotant, solent sibi nova nomina, invocato Dei nomine, eligere.

Præmium & sumnum decus est, si Principes ipsi nomina alicujus mutant: sed sæpius pœna est delictorum
Ma-

majorum. Nuper decollati Comitis Petri Zerinyi & Comitis Nádasdi innocentes liberi, quia Parentum facinoris participes non fuerunt, nomen quoque portare non sunt permitti; sed alteris datum novum nomen *de Gnaden* seu *de Gratia*, alteris verò *Lovelorum*.

Supplices in Russia utuntur in subscriptionibus diminutivo aliquo nominis sui, Johannis loco *Johannuli*, Petri, *Petrelli*, &c. nomen subscribentes. Servis olim Domini nomina pro arbitrio imponebant, eademque, cùm ipsis videbatur, mutabant.

Quos vernaculi à Majoribus accepti nominis pudet, eò vesaniæ abire solent, ut Græcum aut Latinum, aut prorsus Hebraico-Græco-Latinum induant; ut indè doctiores habeantur, aut ad minimum terminationem in *us* vel *ius* deflectunt; sibique gratulantur, si quis Lingvarum scholasticarum ignarus, nomen eorum difficil-

ficilimum ægre pronunciare possit.

Chinenſibus multùm constantiſſi-
mis, nunquam licet unum ex omni-
bus nomen mutare.

Servi olim, non aliud, quām Do-
mini ſui habebant nomen: ut *Lucipor*,
Marcipor, id eſt, Lucii puer, Marci
puer: Naſti autem poſtea ſunt nomi-
na à natione regioneque, è qua oriun-
di erant, & nominati *Daci*, *Getæ*, *My-
ſi*, *Syri*, *Phryges*, *Lydi*, *Japiges* &c.
qui moſ hodieque in Gallia & apud
Hungaros obtinet.

C A P U T V .

De Titulis.

U T *Nomina* ad dignoscendos ho-
mines inventa, ita *Tituli* ad ho-
norandum Digniores excogitati; ubi
tamen cavendus abuſus. Sic multi
Principes Titulos, eorum prætenſio-
nes & jura collapsa, cum aliis com-
munia, fruſtra ferunt.

Quem è Germaniæ Principibus E-
lecto-

lectores sibi in Caput elegerunt, *Imperatorem* salutant & *Cæsarem* & *semper Augustum*: ita *Cæsar* & *Augustus* Imperatorum primi & secundi nomina, apud successores in Titulos abierunt. Titulum quidem *Augusti* & Reges quidam sibi arrogârunt, partim verò ab adulatoribus tributum sustinuerunt: ita Angliæ Regum infelicissimus *Carolus I.*

Olim Imperatores Ethnici dicti sunt *Divi*, quod hodie antiquatum est. *Pius*, *Felix*, *Inclitus*, *Victor* ac *Triumphator* solennes pariter Imperatorum Romanorum Tituli, non tantum Agnomina fuerunt, hodieque usurpari possunt. Hodie nihil crebrius Titulô *Sacratissimi*. Leopoldo nostro, ut Hungariæ Regi, Titulus *Apostolici*, in Diplomatibus & Edictis non est inusitatum. *Nobilissimatus Despotæ & Sebastocratoris* Tituli hodi obsoleverunt. Nec *Invictissimi*, *Magni potentissimi*, *Omnium-Clementissimi*, &c
ha

hodie Titulis delectantur, modestiores facti.

Imperatores Constantinopolitani olim titulati sunt *Porphyrogenneti*, à loco ubi Augustæ parere consueverunt. Turcarum Imperator appellatur *Chakan & Sultanus*, quod Dominum sonat; Sultani tamen Titulus Ægypti ac Siriæ Domini, vulgoque Bassæ quidam honorari solent.

Magnum Duce Moschovitarum vocant *Czar*; Magnum Tartarorum Dominum *Cham*; Persarum Regii Tituli sunt *Chach & Sophi*; *Magnus Mogul & Taxiles* sunt Indiae Regum peculiares notæ; *Magnus Negus & Praetor Johannes* est solus Æthiopicus Titulus, per traducem sic durans.

Placuerunt aliis arrogantes & blasphemæ Tituli, se *Deos, Filium Jovis, Flagellum DEI, Dominum Sanitatis, Angelum Paradisi, Fratrem Solis & Lunæ* vocantibus.

Regibus sua est Dignitas & Titulus.

Ius. *Turcarum Sultanus* se *Regem Regum* esse gloriatur. Idem *Persarum Reges* nonnulli fecêre. *Hispaniarum Reges* speciali Titulô *Catholici* vocantur. Hunc Titulum Leuvigildi Visigothorum Regis Filius *Richardus Hispaniae Rex*, quòd Arianam luem ex omni Hispania profligâsset, à Pontifice Gregorio M. primus obtinuit, qui in successoribus mansit. Hunc tamen etiam Clodoveus & Chilbertus Galliæ Reges usurpârunt.

Reges Galliarum *Christianissimi Tri-
tulô* gaudent, cùm oleô Sacrô ex am-
pulla Remensi cœlitus misso, ut vo-
lunt, ungantur. Verius est eos be-
neficia, quæ Pipinus & ejus Filius
Carolus Magnus, Ecclesiæ Romanæ
præstítit, Longobardis Italiâ pulsis,
& parte Imperii Pontifici donatâ, hac
appellatione etiam in successoribus ce-
lebratos. Quem Titulum Alexander VI à Gallis ad Ferdinandum Ca-
tholicum transferre frustra studuit.

Primo

Primogenitum Ecclesiæ dici, eorundem Gallorum folio adhæsit.

Hodie magnæ Britanniæ *Reges, Defensores Fidei* titulantur, eò quod Henricus VIII. Angliæ Rex Lutherum editò scriptò oppugnâsset, & Pontificatum acriter defendisset; idcirco Leo X. Pontifex honorificum hunc Regi Titulum tribuit, quem etiam successores Reformati tenent. *Caput Ecclesiæ Anglicanæ* solus ibidem Rex ab eodem tempore inscribitur.

Imperator *Advocati Ecclesiæ* Titulô inter cœtera fulget. Solent etiam Imperatores Romano-Germanici in ordinem Canonicorum Aquisgranensium recipi, ut olim per Romanam coronationem Canonici in Basiliæ S. Petri facti sunt. Electoribus iidem Tituli, quæ officia seu Dignitates, quas vidimus suprà.

Sunt & aliae in Imperio Dignitates & officia, quibus licet non fungantur, intitulantur tamen Magni Imperii

Principes & Comites. Hinc Titulus
Vice-Pincernæ, Comitum de Limburg;
Magistri Coquinæ, de VValdenburg;
Vice-Mareschalli, Vice-Camerarii, Vice-
Thesaurarii. Sic Abbas Fuldensis,
Imperatricis Augustæ Archi-Cancel-
larius; Episcopus Toletanus in Hi-
spania Cancellarius natus; Dux Wir-
tembergicus Imperii Supremus Venati-
onum Magister; &c. Quos magno-
rum Ministrorum Titulos, certæ Fa-
miliæ illustres, hæreditarios ad glori-
am tenent;

Papa Romanus solus, Optimus
Maximus appellatur. In reliquis ve-
rò Titulis specialibus, Pater in Deo
Dominus Sanctissimus, Beatisimus, Cu-
stos Vineæ, Pastor Catholici gregis
Gubernator Apostolicæ navis, Vicariu-
Christi; &c.

Sunt etiam Illustrium Filiis & suc-
cessoribus sui speciales Tituli, ante
quam Parentibus in Dignitate plen-
succedant. Romanorum Imperato-
run

rum successores olim *Cæsares* etiam diciti. Hodie salutantur *Reges Romanorum, Germanorum.* Item Reges designati, *Principes Coronae, Principes Eleitorales;* &c.

In Hispania Primo genitus Regis in spem successionis natus, vocatur *Asturiarum Princeps*, cætera proles Regia *Infantes* solent dici. Regis Galliarum Primo genitus dicitur *Delphimus*, à suo Delphinatu. Primogenitus in Anglia olim *Dux Normanniae* dictus; nunc vocatur *Valliae Princeps, Dux Cornubiae ac Cestriae.* Secundogenitus, *Dux de Forck seu Eboracensis.* In Dania primus Regni hæres solet specialiter *Hæres Norvegiae* dici. In Svecia verò *Princeps Finnoniae.* In Gallia Filius Secundogenitus seu Frater Regis *Dux Aurelianensis* salutatur, vulgò *Orlean.* Cætera Regum proles, *Principes sangvinis*, aut *Regii Cadetti.* Qui è Familia Mahumetana originem suam probare possunt, honorantur sub

Titulo Seriphorum. In Germania Principum Filii retinent Parentum avitos Titulos.

Olim, qui condiderant Urbes, *Saturni* Titulō venerunt, eorum Primo- geniti *Joves & Junones*, Nepotes *Hercules*, Patres *Saturnorum, Cæli*; Uxo- res verò *Rheæ* nomine veniebant.

Majestatis Titulus, post *D E U M*, est Imperatoris, qui tamen datur et iam Regibus: Imperatrix etiam hōc Titulō colitur & *Reginæ*. Reges Bo- hemiæ, Daniæ, Sveciæ in suis Regnis *Majestatis* Titulum habent: qui in Imperio his denegatur; quos Cæsar *Regiæ Dignitatis* aut *Celsitudinis* Titu- lō salutat. *Monarcham* esse, est Maje- state præditō majus.

Dei Gratiâ, quilibet est id quod est: in Titulis tamen hoc solius Ma- jestate fulgentis esse volunt, qui Di- gnitatem suam à solo *D E O* immediatè obtinet. Non dubitant tamen alii quoque Principes illud usurpare, sive *Digni-*

Dignitatem jure proprio acquisitam, sive privilegiō concessam, habent. In Gallia tamen, præter Regem, nemo Princeps, sine crimine læsa Majestatis, se *Dei Gratia* inscribere ausit.

Modestiā laudatissimā nulli Reges in literis ad Imperatorem, hōc Titulō de seipsis utuntur. Si ad pares Epistolam scribant, in calce demum eūm adjicere soliti; si verò ad inferiores, in ingressu literarum exprimunt. Magnates Ecclesiastici, in Titulis suis, *Dei providentiā*, item *Divina miseratione*, scribunt. *Regiae Altitudinis* Titulus in Imperio tribuitur Bohemiæ, Daniæ & Sveciæ Regi, Magnis Ducibus Hetruriæ & quibusdam aliis, Reges sangvine attingentibus.

Serenissimos hodie non solum Eletores, sed & cæteros Principes Imperii, Principibus editos, salutamus. Cætera Ecclesiasticorum Principum cohors, *Clementissimi*, *Gratiissimi* & *Clementes*. *Eminentissimi* dicuntur Car-

dinales. *Altissimi & Celsissimi* omnes Principes Germanici, Gallici, Belgici. Confœderati Belgii Ordines Generales *Præpotentes*; Hollandiæ, Friesiæ, &c. Ordines, *Magni-potentes* salutantur.

Illustriſſimi sunt Comites & Liberi Barones; *Illustres*, Nobiles & nonnulli inter Eruditos celebriores. Titulus *Excellentia* datur Principum Consiliariis, Legatis, Generalibus Belli Ducibus; In Academiis verò Professoribus & Doctoribus. *Generofiſſimus* & *Generofus* meritò nemo, nisi Majorum gloriâ præcellens, vocatur. Abbates & Præpositi Capitulis, *Reverendissimi*, *Dignissimi*. *Sanctus* & *Beatus*, sunt Tituli jam mortuorum à Papa sanctificatorum. *Spectabiles* olim dicti Castrensis palatii Comites ac Belli Duces, item Cubiculariorum in Aulis præpositi, qui & *Decani* Titulum gesserunt. Hinc mos fluxit, Facultatum in Academiis Decanos, *Spec-
tabili-*

etabiles salutare. Perfectissimi olim vocati sunt Provinciarū Præfecti; Stre-nui, omnes Nobiles promiscuè. Appellatio *Egregiorum* olim Magnis Vi-ris fuit Titulus; licet propriè apud Romanos *Eximii* sint vocati Porci majores, qui ad sacrificandum excepti liberalius pascebantur: quemadmo-dum Boves ad eundem usum è grege selecti *Egregii* & Oves *Lectæ* diceban-tur. Qui Magistratum gerunt, ho-die plerumque *Magnifici*, *Amplissimi*, *Gravissimi*, *Prudentissimi*.

Principes, tantum in unica sua per-sona, quantum in *Aristocratia* multi & in *Democratia* omnes, absolvunt; hinc se inscribunt in plurali Numero Nos, &c. cuius originem alii, à Ro-mulo & Remo, pari authoritate simul regnantibus, deducunt.

Magnificentiae Titulus, Magnati-bus nonnullis usitatus, in Academi-is crebrior; Rectores enim & Pro-Rectores ex Academico orbe electi,

hôc Titulô ubique gaudent. Theologi Plurimùm Reverendi, Devoti & Vigilantissimi; Juris prudentes Consul-tissimi; Medici Experientissimi; Philosophi Praeclarissimi, & qui inter hos omnes excellunt, Celeberrimi, Titu-lis invitantur. Alii promiscuè Per-eximii, Clarissimi, Præstantissimi, Doctissimi, & quid non?

Dominus est statûs in servos domi-nantis nota, Indè Romani Cæsares, aliàs summè ambitiosi, ne populum irritarent, *Domini* dici recusârunt. Christianis Imperatorib⁹ eundem Ti-tulum sibi sumere, religio fuit; ne D E U M hinc offenderent: idem & verentur hodie Anabaptistæ, Titulum hunc fugientes.

Sultanus Turcarum Latinis dicere-tur *Dominus*. Judæi olim Reges suos *Dominos* salutavère; denotat & no-bis hodie suum cuique Principem. U-nicum vocabulum *Sir* (quod Domi-num sonat) sine ullo appendice est solo-

solorum, Regum Galliæ & Angliæ peculiaris Titulus. Cardinales dicunt *Dominum Papam*. Germani tribuunt *Domini* Titulum ad summum Comiti. In Belgio vocant per excellentiam Concionatores *Dominos*. Uxores modestiores maritos, eodem venerantur Titulō. *Domina* & parvula Domina seu *Domicella Magnatum*, Comitum ac Baronum, imo & Principum Uxoribus, ac Filiabus tribuitur. Abbatissæ vocantur *Dominae Principissæ*.

Sunt quidam Tituli humiliatorii aut pœnitentiales dicti, sic Papa i.e. *Servum Servorum*, inscribit. Judæi seipsoſ *Canes mortuos ac vermes* appellant. Templariorum præfecti olim Titulus fuit: *Domorum militiæ Templi præceptor humilis*. Ita ad magnos multi se scribunt, *Vasallos, Clientes, Mancipia, Servos*; &c.

CAPUT VI.

De Reverentiis.

INITIUM & h̄ic ab Imperatore. Hic quem audientiā dignatur, eum in genua prolapsum, quā habet, expōnere decet. Principes ipsi, prætereunte eos Imperatore, uno pede alteri postposito, utrumque genu, non tamen ad terram usqne, flectunt; qui mos salutandi maximē in Aulis Ecclesiasticorum Principum communis. Reges ipsi, Imperii Vasalli, à Cæfare, in genubus sedentes Feuda recipere soliti. Olim erant osculō venerandi Cæsares, Nobiles dextram, vulgus sumebat osculanda genua. Caligula pedem porrexit, etiam Consulibus ipsis: hinc Diocletianus, ut pedibus Majestatem conciliaret, calceamenta splendidissimis gemmis distinxit. Reliqui Monarchæ Romani eō contenti erant, si quis venerabundus tactā eorum purpurā, manum ad labia reportaret.

taret. Servi tamen indè arcebantur.

Recèns electus Imperator , primò ab Archiepiscopo coronante, pòst à Confœderatis Imperii ibidem præsentibus osculò excipitur. De Feudo investiendi, antequam ad Imperatorem accedant, procumbunt tribus vicibus supplices in genua : nec conclavi postea egrediuntur , nisi eodem reverentiæ modò ter iterum repetitò. Veteres Cæsares venientes & abeuntes ipſi , à Senatu osculò salutari voluerunt. Eandem oris humanitatem Legatis quoque exhibuerunt. Cui libet præterea equò fuit descendendum , cùm Cæsares præterirent aut Consules. Heliogabalus quocunque iter pedibus fecit , argenti & auri scobe strata porticu exceptus est.

Turcarum Sultanum partim in genubus , partim utraque manu pectori applicata, capite ad terram usque deflexo , venerantur. Imperatoris tamen Romani Legati , nonnisi seden-

tes

tes ipsum alloquuntur. Subditorum Regnorum & Confœderatorum quorundam Legati vestem ejus osculantur ; magna tamen præcautione : ubi enim audientiam obtinuerunt, armis exuuntur, & brachiis utrinque per ministros ad id ordinatos prehensis, ita demum in conspectum Sultani adducuntur ; & simili forma reducuntur, retrocedentes, facie semper ad Sultanum versa. Hunc Reverentiæ modū edoëti sunt Turcæ tristi Amuratis casu, qui Adrianopolim expugnaverat, & Lazarum Serviæ Despotam vivum captum, gladiō percusserat : cuius cædem ulturus ex familiaribus unus, Nicolaus Kolibits, tanquam arcani aliquid Sultano significaturus, privatissimam audientiam obtinet, & Tyrannum ense, quō accinctus fuerat, confudit.

Rex Galliæ à se investiendos, ad osculum admittit; ignobilem, licet nobile Feudum tenentem, ejus partcipem

cipem non facit. Rex Angliæ, ubi coronatus est, concedit Generosis fidelitatem jurantibus coronam suam tangere; in via omnibus promiscuè, in genubus sedentibus, manus osculandas porrigit. Non tamen est fas Angliæ Monarcham alloqui cuiquam de plebe; nisi fuerit prolapsus ad patellas. In India Regi inserviunt omnes genibus insidentes, ut & Turcarum Sultano cibum sumenti. Persæ obvia quæque & vias, ubi Regi proficiscendum, floribus & coronis purpurant, odores in argenteis altaribus incendunt, & ungventis pretiosis svave olentibus, aëra inficiunt; ne Regio cultui quicquam desit.

Papa Romanus crepidam suam propinat devotè exosculandam: id & Carolus V. magnanimus cæterà Imperator, Clementi VII. præstítit. Cæsares olim à Papa inaugundi ter terram genibus attingebant, antequam ejus os, manus, pedesque osculati.

Episco-

Episcopi ad osculum Pontificiale, non solent infra genua cogi. Cardinales, Consiliarii aliique Magni à latere Ministri, tantum manum ejus ore attingunt. Papa non solet suum caput honoris causa aperire cuiquam. Cum benedicit populo Romano, Cardinalium proximè adstantium unus ipsi demit egregiam mitram; alter ipsi iterum imponere dignus habetur: atque ita officium manuum Pontificalium & vices præstant.

Principibus subjecti, eundem, quē alii Regibus suis, honorem debent. Horum manus aut vestium extremitates, labiis etiam tangi solent. In genua etiam coram iis, præcipue supplicantes, prolabuntur. Cum Principe loqui, paulum incurvato corpore decet, quemq; ex populo. Quando Princeps obvius fit; sive incedat pedes, seu cques, aut vehatur sellā rotatā; oportet gradum sistere, & usque dum præterierit, stando salutare.

Ita

Ita descendunt Æthiopes Abesini equis, quoties ipsis Templum prætereundem est. In Imperio Ministri, sui Principis nomen nec ipsi allegant, nec accipiunt ab aliis, capite tecti aut corpore recti: nec nisi capite nudati eorum beneplacita aut edicta audiunt recitari, nec in memoriam eorum aliter potant, nec in sanitatem Principum, aut potum hauriunt aut aliis præbibunt, nisi stantes.

Plebe vulgarium honoratores, Dominos, Patronos, Parentes, Præceptores, &c. supra vulgarium formem salutamus, iis assurgendo, caput nudando. Persis, ut & hodie Polonis, sedere in præsentia Parentum nefas, & juvenibus Ægypti, præsente aliquo sene.

In Africa Regni Congo homines in platea descendentes in genua, plaudunt prætereunti salutem. Chinensium plebei Honoratoriē alloquentes in genua prostrati, nonnisi defixis ad pedes

pedes ejus, que in alloquuntur, oculis, exponunt exponenda, & abeunt retrocedentes, facie constanter ad eum versa.

Germani inclinato corpore, dextrum pedem sinistro placide anteponentes, dextrâ quasi osculatâ terræ fere applicatâ, Gallorum more, *reverentiam* exhibere solent, dum aliquē salutant: eundem fere modum, dum abeunt, servant, attendentes diligenter, ne tergō quem intueantur, & ut pedem anteriorem concinnè vicissim retrahant. Cavent autem hīc, ne se dignioris manum priores ipsi apprehendant, aut nimis arctè approxinent, aut ne ejus, cui officium facere gestiunt, manus, inter jungendum, inferior teneatur.

Græcæ Religionis Sacerdotes tripli capitis operculō, pileō, mitrâ & calanticâ peculiari modō salutant. Fœminæ Germanicæ solent flexis tantillū genibus salutare, alia simul etiam collō paulisper motō. Mi-

Milites, suos habent, Digniores salutandi & reverendi, modos; dum tormentoru[m] majorum & bombardaru[m] tonitruis ac fulminibus adventantes excipiunt, seu terrâ sive mari id fiat. Eorumque alii imperialis baculi aut gladii, alii hastæ aut vexilli, alii bipenniu[m] supremas extremitates terram versùs demittendo. Alios, honorandum jamjam imperfecturos putares, dum eum, quasi ad scopum, ipsum constanter & torvum intuentes, collimant, præcipue in transitu superiorum militiæ Praefectorum. Cæterum miles armitemens pro nullo verticem nudat.

In mari, qui navi Principem præterit aut Arcem, si vela, dignioris in gratiam, demittere, officiū & reverentiæ causâ, recuset; certè is ultionem per irata tormenta audiet sentietque.

Æquales, seu Magnates sive plebei, vario ritu sibi invicem fiunt ob-

vii: plerumque demunt pileum, porrigitur vel nudè, vel osculò legitimam dextram, tanquam pignus amicitiae perennaturæ. Chinenses propinuant stantes hospitibus manum. japonenses sedent, & excipiunt suos, nudando dextrum pedem. Aliqui Germanorum, quod & nostris Volachis in usu, ore labiis admoto, cinguntur mutuis amplexibus, in primis qui diu & procul, periculoque vehe- mentiore, intimis abfuere.

Principes Turcarum, dum se mutuâ reverentiâ honorant, compescunt tribus vicibus digitô labellum. Ægyptii in viis occurrentes, se mutuò adorant, manu genutenus demissa. Belgæ cum finitimis, Angli & Gallorum aliqui, non quidem mas marem, sed fœminam, accedentes & abeuntes, osculò, in anubus sæpè ingratu, excipiunt: idem ritus invicem mulieribus mansit, inter Nobiles Germanas quoque non infrequens. Mulieres

Ro-

Romanæ, quod olim osculò salutarentur à suis Consanguineis, factum est explorationis gratiâ, num lateret altius vinum. Doctorum creandorum frontem osculatur Vice-Cancellarius Academiæ.

Prætereuntes æquales, pars caput aperiendo, pars genua flectendo, salutant. Romani quoque olim capita aperuerunt. Anabaptistæ quidam, in Anglia & Belgio, neminem partcipem pilei honoris reddunt, nisi sanctum Confratrem; veriti, ne ignoti participes fiant peccati alterius. Hi certè neque Regibus præsentibus pileum demunt. In Magnis civitatibus, si quis aperiendo caput, aut alio gestu, sibi ignotum præteriens salutaret, rideretur, aut ratio reddenda esset familiaritatis. Polonis est semper præsens, ut Titulos accumulare, ita corpus ad imum usque flectere. Turcæ suos vertices nunquam salutationis causâ nudant, sat habent manu pecto-

pectori admota faciem versus terram defigere. Chinensibus, salutandi ritus est ridiculus: salutaturi induuntur peculiari salutationum vestitu; nec ullos obvios, nisi similiter induitos salutare solent.

Patres Chartusiani, qui soli Monachi per excellentiam dicuntur, cum semper soli sint, quilibet in separato non tam conclavi, quam domo, sibi mutuo in Monasteriis forte obvii, dicunt sibi invicem: *Memento mori.* Ridiculum est, quod plebs in Westphalia & alii finitimi, in salutando, numerum salutandorum recenseat: ita si plures salutandi sint, vocabulo universorum exprimunt se omnes velle salutare. Peregrinates opificū tyrones receperunt ridiculē, verbis suæ artis Magistrorum & sodalium, ex dissitis quamvis locis, penit^o ignotos salutare.

Mos est plerubique receptus, sternutanti bene precari, his vel similibus formulis: *Deus te adjuvet;* qui vulgo arces-

arcessitum ex morbo epidemio, tempore Pelagii II. Papæ Rom. oborto, quod correpti, cum sternutatione valida, magnam partem, animam exhalavere.

C A P U T VII.

De Præcedentiis.

IMperatori cedunt ut primatum, ita & *Præcedentiam* Principes omnes. Sed quis ex Regibus Imperatori secundus sit, nemo pro certo dabit. Electoribus manet suus ordo status. Principes saepe ætatis, tam seculorum, quam suæ ipsorum, ratione habita, Senioribus cedunt. Inter quos componi res ratione *Præcedentia* non potest, aut absunt è solennibus conventibus studiō; aut ponuntur sibi invicem è regione; aut præcedunt alter alterum quotidie vice versa; aut sedent confuso ordine; aut si alter mittat Legatum secularem, alteri ad invidiā declinandā mittend⁹ Ecclesiasticus, ut ille huic sine injuria *præcedentiam* cedat.

C

Dan-

Dantur etiam liberi Barones, qui Comitibus non cedunt. Nobilium quoque Generosorum aliqui æquivalent Baronibus. Ecclesiastici Principes habent in hoc negotio sibi præscriptam sortem.

Inter Romanos Consules olim non is semper accepit Fasces prior, qui plures annos natus esset; sed qui plures liberos vel in sua potestate adhuc teneret, aut in bello amisisset. Si æqualis ambobus numerus esset proliis, qui maritus esset, præferebatur viduo & constanter, uxoratus cælibi. Si ambo conjugati essent, & par liberorum numerus, tunc demum ætas ponderabat.

Principes & Domini, ac militum Præfecti, plerumque eunt soli, ministri, servi & tyrones, nunc certo, nunc confuso, sequuntur ordine. Ut plurimum majores Ministri, in solemnitatibus antecedunt suum Principem, ipse solus sequitur; post sequitur ipsi

or ipsi inservientium turba Quan-
do magno cum comitatu Principes
urbem aliquam ingrediuntur, vehi so-
lent inter ultimos fere, ne oculos spe-
ctatorum à reliqua pompa avocatos
in se solos dirigant.

Solent nonnunquam Domini, qui
se servis non credunt, in itineribus,
iis posteriores equitare. Si quis cum
Magnate incedat, ad latus quidem
ibit, ita tamen, ut diagonalem line-
am observet, nec latus lateri ejus as-
societ. Nobiles Matronæ filias ipsas
comitantes alibi antecedere, ut & a-
pud Hungaros mos est, alibi sequi
volunt.

Seu quis eques, sive pedibus ince-
dat, inter duos pluresve medius, pa-
sim honoratior habetur. Dextræ
semper qui propior, habetur reliquis
Comitibus dignior; ad sinistram à
medio remotior, infimus est. Apud
quosdam tamen, ut Persas, Polonos,
Hungaros, cui nemo dextrum latus

claudit, is pro digniori habetur, inde qui sinister incedit, primum dignitate sequitur; extremus ad sinistram, cedit omnibus.

Apud Hebræos & Romanos veteres, hodieque apud Turcas cordi & acinaci proximior habetur honorator, ferrō se defensuros indicantes, quos sincerè colunt. Alterum alteri dignitate non cedentem, si obvium fieri contingat, nec caveri possit, quomodo se mutuò salutent, ne de *præcedentia* controversia oriatur, manibus se invicem excipientes in gyrum ire solent.

Itali, Galli, Angli plerumque muro aut ædibus proximiorem, quia purior esse solet, locum concedunt Digniori, neutrius habita lateris ratione: jam enim dexter, jam sinister incedit. In conclavibus dignior locus habetur, qui intrantibus sinister, excentibus verò dexter est. Qui carpentē yehuntur, digniorem locum pur-

tant esse eum , unde vultum eò, quò eundum , dirigere possis ; alii tamen aurigæ proximiores, malunt observare , unde venerint . Sæpe tamen observamus Digniores sedere in carpentis ad pedes, commoditas enim ex arbitrio majoris dependet.

In creandi Cæsaris solennitatibus , Electo atque Electoribus sua singulis mensa , suusque gradus . Gallorum Rex assidet plerumque solus , sūæ oblongæ mensæ . In nonnullis magnis ac publicis judiciis ac conventibus , assidet in loco magis conspicuo folus Judicij Præses , cuius dextram Generosi , sinistram Doctores , aut alii æquè docti civici statûs viri , ordine claudunt . Ita fere solent ad Principum mensas , ex hoc mares , ex illo latere Illustres fœminæ , locari .

Artus Rex Britanniæ constituit EQUITUM Ordinem orbicularis mensæ ; quibus , in conventibus , non nisi tali mensæ assidere fuit licitum , ne de-

præcedentia lis nasci possèt. In cibo capiendo, decorum habetur non attingere apposita, donec honoratiores inceperint; neque incipere tamen manducare, donec & inferioribus cibus appositus sit. Similiter in propinando potu, honoratior prior invitatur. In Anglia plerumque ei propinatur potus, qui è regione sedet, alibi, uni ex vicinis.

Magnorum Principum Ministri, eo, quo Domini, ordine, sibi invicem sunt honoratiores; nisi quis de altero, simul & sanguinis dignitate triumphet. Legatis hodie, omnium Domini Principalis jurium prætentio, non datur. Si Princeps ad Principem mitteretur, non solum ut Legatus, sed ut Princeps simul & Legatus, alteri effet observandus: Comiti misso, licet ab ipso Cæsare, Principes in *præcedentia* non cedunt. Olim tamen fuit aliter.

Theologiæ Doctores propter ani-
mæ cu-

mæ curam, primi poni consueverunt. Hinc apud Pontificios Illustres quoque personæ *cedunt* vel minoribus *Clericis*. Jurium Consulti locantur post Theologos, hinc Medici, quos Philosophiæ Graduati immediate sequuntur: qui est perpetuus in Academiis ordo. In multis Academiis inter studentes nolunt Generis rationem haberi, eò quod omnes æquè sint studiosi; in aliis tamen, Nobiles aliis sunt Digniores, cum & extra Scholam sint honoratiores.

Virginibus, etiam paulò inferioris conditionis, primas nemo civilis denegat, nec aliorum uxoribus. Veteri more Germani ad *sinistrum latus uxores* in incessu *collocant*, quod ad Dignitatem Imperii Germanici, Principes, etiam dum exteris duxerunt, observant. Cives tamen multi suas æquè ac alienas uxores *dextra manu* ducunt. Conjugum copulandorum sponsa *ad dextram* collocatur, qui or-

do mox cum benedictione invertitur. In Moschovia sponsa à Sacerdote in manus sponsi tradita, ad pedes ejus devoluta, caput calceis allidit, in subjectionis tesseram.

C A P U T V I I I .

*De Inherentibus Corpori,
ubi Naturalia, Vulnera, Colores, Ungues,
Capilli, Barbæ, &c.*

COrpus etiam præter vestes consuevit ornari, ad discernendos Digniores. Alii sunt conspicuè à Deo decorati; alii sibi ipsis signa placentia finxerunt. Singulare & maximè notabile est, quòd veneranda natura naturans Serenissimam Austriaeorum Archi-Ducum Familiam, oblongiore mento & vultu gravi quadam Majestate decoro donavit. Hoc jam à Tritavis, non maribus solum, verùm ipsi quoque fœmineo sexui, commune est. Omnes Persarum hodieque Reges magnò naso decorati cernuntur.

cernuntur: non quòd Familiæ Regiæ id inhæreat; sed quòd neminem, nisi talem, sibi eligant.

Sanctorum capita cum radiis pinguntur, quasi numine aliquo aut splendore disperso: at si in originem veram inquiramus, reperiemus jam olim apud Ethnicos simulacrorum fictorum fictis capitibus, talia acumina imposita fuisse: ne aves, idola fœdaturæ, iis insiderent; sed ictu cuspidum indè arcerentur. Quod indè mutuati pictores quidlibet ausi. Sunt, qui Mosi, sed ridiculè, *cornua* superstruant, nitorē ipsius ex monte ipsum comitantē exprimere volentes. Attila quoq; noster passim *cornub⁹* instructus pingi solet, vel, ut terror orbis, vel; quòd Hunni à Satyris originē trahere vulgò, sed falsò, credātur; aut, quod vero similius, quòd Pannonia Satyrorum Regi sacra olim fuerit. Trajanum *hircinis auribus* qui pinxerunt, eò respexerunt, quòd petulans, ut

hircus, amaverit; vel quòd per præcipitia & scopulos, suas copias ducere confueverit.

Mulieres Chinenses student mirè *parvis pedibus*: cujus hæc origo est, quòd quædā ibi Regina maximè gracieles habuerit, quam imitari & ejus Manibus placere hodiernæ gaudent. Sunt, qui ad ornanda Corpora sibi ipsis *Stigmata inurunt*. Thraces quoque olim uxoribus Generosis notas ingenuitatis inusserunt; iis carens, ex vili sorte fuit habita. Nonnullæ obstetrics à prima Nativitatis hora, infantis *nasum*, ut formosior fiat, extenderè confueverunt: Americani contrà *nasi* pulchritudinem metiuntur *depressione*, hinc utero vix egressis, pollice, ad catellorum instar, *nasus* deprimitur. Amazones fregerunt servis atque filiis suis crus, aut alterum brachium: non modo ne fugere possent, aut struere insidias; sed etiam ut potentiores in Venere fierent, hoc enim est

est proprium claudorum. Quot non mendici rotâ digni, reddunt libero-
rum teneros artus inutiles, & per hoc faciunt eos mendicitatis candidatos.

Tartari, Regem mortuum lugen-
tes & *brachia & faciem vulnerârunt*, præcipuè verò dextram. Americani ab infantia pueris omnibus *labium* in-
ferius pertundunt, alii quoque *genas*. Judæi servis *aures terebrârunt*: hodiè quot non Gentes ac Matronæ inpri-
mis habent *aures perforatas*, ad va-
ria ornamenta gestanda. In Virginia ut plurimum tria *foramina* ex qualibet
aure gerunt, ex quibus varia gestami-
na pendent. In Brasilia perfodiunt
auriculas ita, ut digitum foraminis im-
mittere possis, cui *lignum oblongum*
aut *os cercopithecorum* imprimunt.
Ibidem viri perforant *labia* inferiora,
foramenque lapide aliquo, *Cristallo*,
Smaragdo, *Jaspide*, nucis avellanae
magnitudine claudunt, idque maxi-
mè viri Conjugati. Alii Americani

pertundunt ab infantia omnibus pueris *labium inferius*, & inserūt *os quodam perpolitum candidum*, in firmiori verò adolescentia eximunt, & ejus vice indunt *viridem pseudo-Smaragdum*. Nares quoque transforantur saepe, quibus ligna certa indunt, aut ad ursorum modum *annulum ingentem*. Nigritarum fœminæ habebant suspensos circulos ex femore. Amazones se mamillis privabant. Abissini circumcidunt non modo mares, verùm etiam puellas suas. Quanta non est miseria in Oriente hodie Mulierum custodibus, qui ne naturæ obtemperare possint, mole infibulati circuli corrumpuntur. Indiani, ut idola sua castè colerent, *pudenda ferro findebant religionis ergo*. Quidam Turcæ sub glande sui membris sponte perforata cute, annulos gerunt, & de iis gloriantur. Talem fibulam non fuisse insuetam Romanis, ex Martiale colligimus. Spadones in Turcia hodie

die non modò glandibus sed & virgæ privantur, ex Achmetis secundi constitutione. Magnatum in Æthiopia liberi *vulnere* aliquo se libenter notant ad gloriam. Ita Poloni *cicatrices*, in primis in *facie*, decori sibi ducunt, tanquam indicia virtutis.

Varii variis delectantur coloribus, plurimi albedini interrubitatem pulchritudinem amant: Polonis solum albantes genæ placent, & ut nobis nigrum odiosum, ita in Æthiopia nostri coloris homines Diabolo æquiparrantur. Abesinorum Rex dicitur, non, ut subditi, niger, sed *mixti coloris* esse. Ægyptii cutem *flavificant*. Maxes in Africa corpora tota minibus pingunt. Brasiliiani variis coloribus inficiunt. Virginienium fœminarum brachia, pedes & mamillæ nigris punctulis inficiuntur, quibus variæ ferrum figuræ exp̄rimuntur. Afrorum aliqui atro colore crura infecerunt, ut eminus venientis oculis, ejusmodi fe-

moralibus amicti reputarentur. Heroës Americani, qui strenui multorum interfectores videri volunt, incidunt *pectus, lacertos & femora*, inficiuntur *atro pulvere*. Veteres Angli glastò *ora cœrulea* infecerunt, ut pugnaturi horribiliores conspicerentur.

Capillorum color non omnibus aridet omnis, rufis & senescentibus multi delectantur Celtæ datâ operâ *crinem suum rutilaverunt*. Barbaricæ gentes *palpebras & supercilia nigra reddunt antimoniô*. Meretrices verò Gallicæ *Croceum colorem suis superciiliis induunt*. Omnes fere Gentes student *albis dentibus*; nisi quòd Japonenses eos studiô denigrent. Alii receperunt etiam *ungues tingere*. Alii *cruces & alias nugas, cuti, nitrato pulvere, soliti inurere*.

Est etiam character quorundam, *unctum esse*. Olim *uncti Reges, Prophetæ & Sacerdotes, in symbolum Divinæ gratiæ, & quidem in solo capite;*

pite; hodie etiam in fronte & cervice
ungi solent; imò in parte brachii &
manûs, quâ sceptrum gerendum. *Un-*
gitur & humerus, cui regiminis onus
imponitur, aliis & cubitus, item pe-
ctus, dorsum & pedes. Olim fuit
liquor superfusus, hodie peragitur *un-*
gio digitô, oleô delibutô, cruces pin-
gente.

In Academiis, post Depositionis ri-
tum, madefiunt tyrones per Philoso-
phorum Decanum lœtitiae vinô capiti
infusò, & hinc defluente. Veteres,
athletæ in primis, tuerunt multùm
uncti oleô, tum ad tendinum lentitu-
dinem, tum ad nitorem, etiam ut
minùs promptè ab adversario tenerē-
tur: Superbarum varium *fucum*, quô
placere solent, *albedinem cuti* grati-
fimo rubore conciliantes, & utrumque
tenuissimis umbris decorantes, non
attingam: ut nec, ita fucatas ludibrio
exponendi perfaciles modos. Fue-
runt olim & *lavacra* passim in usu.
Ipse

Ipse Imperator, Papa & Reges lavant nonnunquam aliquot pauperum pedes.

Tapuytarum Regulus in America eum Primatibus, à vulgo *ungvibus* & *Capillitiō* possunt dignosci, ipsius enim Regis *pollicum unguis* prominent *longissimi*, Consangvīncorum verò & bellicorum Ministrorum omnes dīti, quò magis *ungvibus* armati, eò decentiores putantur. Japonensium Imperatori, nihil de venerando corpore refecare licebat, non *ungves*, non pilos, non barbam; licet subditi hæc oīnnia sibi demerent. Chinen-ses *dextræ manus unguis refecant*, in *sinistra* verò liberrimè augeri sīnunt *ungvium proram*. *Ungues quoque colorare in usu multis*.

Apud Tapuytas insuper Regulus, solet *capillos in coronam*, Majestatis signum, gerere *tonfis*: qualibus ex Anacleti Papæ constitutione Monachi cū Monialibus delectantur. Georgiani ferunt

ferunt in capite rasuram, Clerici quidem rotundā, Laici quadratam: id scilicet curantes, ut eò copiosius per ita tonsos vertices, numen descendere possit. Plurimæ Gentes olim, capita crinibus nudabant, hodieque Turcæ Tulipantò utentes, capillos nunquam alunt. Moschovitarum senes, *capita radunt* prorsus. Ægyptii mortuos lugentes *capillos promittebant*, Calecutenses nunquam *Capillum radunt*, nisi Rege mortuo. Hoc fuit etiam Tartarorum, Reges lugentium, signum. Poloni unum capitis spatum servant pilosum, radunt reliquum, ob redditum, è Cœnobio, Coronæ Casimirum. Nobiles Japonenses gerunt parum tantum crinium in ulteriore capitinis parte: plebei ibidem sunt verticem calvi.

Sicambris fuit *occiput tonsum*; Spartanis ac Abantibus contrà in *occipite alebatur cæfaries*, prudenti præcautione, ne fugituri crinibus tenerentur.

sic.

si comatum sinciput esset. In Africa Maxes dextram capitis partem comatam, sinistram verò rasam circumferunt. Tartari per verticem, ab aure ad aurem caput in occiput radere olim soliti, capillos in reliqua capitis parte promittentes: de quibus duas tricas seu chordas fecere, quas retro aures colligârunt. Apud veteres abjectissimi servi fuerunt semirasi; manumisisti autem & liberi facti apud Romanos *raso capite toto*, pileum, libertatis insigne, accipiebant. Apud Gallos veteres, Regia progenies, in spem regni educata, egregiam cæsariem alebat: ea cum attonsa esset, in infimum plebis ordinem abire cogebatur. Populus apud Gothos capillatus, apud Frisios servi comati.

Svevi crinem obliquabant & substrin-
gebant nodō, sic à ceteris Germanis, &
Svevorum ingenui à servis, distin-
gyebantur. Germani veteres, maxi-
mè Heroës, ad dextrum humerum ca-
pillos

pillos refecabant, ad sinistrum cæsariem promittebant: quam alii ventorum flatibus ludum exponebant; alii ligulis adstringebant; alii pendulam intorquebant. Hodie Galli cum simiis Germanis *capillis adscititiis* pulvere redolenti conspersis gaudent. Ibidem Fœminarum largiores, in circos contortos varièque dispositos hodie videas, plerumque & eos adscitios. In primis conspicuæ novæ sponsæ, quæ crinibus coronâ superpositâ integrum dorsum & humeros tegunt, qui florib⁹ & ligulis hinc indè ornantur. Romani novas nuptas canis senum crinibus ornabant: vel quòd virgines Vestales talibus uterentur; vel maximè, ut essent symbolum amoris perennaturi. Insuper iidem nubentium caput hastâ, quæ in cruento occisi gladiatoris corpore stetisset, comere solebant: ut ex matrimonio fortes & militiæ consecrandi nascentur.

Barba multis gentibus summè cultæ: & abiit Muselmanis in proverbium: *Cave, ne barba meæ & Muhamedi illudas.* *Barba* cum Pallio fuerunt olim Philosophi nota, olim inter Germanos nobilium ornamentum. Hodie Galli cum Germanis mentū prorsus glabrum gerere receperunt, servatā in labio superiore lineolā pilis conspicuā. Hispani verò, Poloni, Hungari & Turcæ, ac multi alii mystacem sæpe circa auriculas torquent. Moschovitæ venerantur *barbam* ad cingulum descendenter. Veteres Haſsi non raserunt antè *barbam*, quām hostem occidissent. Romani semper intonſi ad annum Urbis Conditæ 455. quō P. Ticinius Mena tonſores ex Sicilia Romanam vocavit. Rhodii, ne quis raderetur, Legibus caverunt: & tonſores Byzantini ne in ædibus quidem novaeulam habere debuerunt sub gravi mulcta. Plurimi Hyberni novaculae detestantur.

Lace-

Lacedæmonii, & ex Thracia Abantes *barbas* prorsus demiserunt, ne hostes ipsos iis apprehenderent. Lungen-tes alibi barbam demunt, alibi pro-mittunt. Quin etiam mortuis *barbas* in ordinem elegantiorem redigi pa-sim in more posatum videmus; quas tamen alibi cadaveribus prorsus rade-re mos fuit. Circa *super cilia* id hodie notatur, quod latiora ea plerique aver-sentur; in Brasilia verò solent penitus extingvi.

Inuruntur notæ quædam Corpori, infamiae causâ: sic *patibulum cum ro-ta*, & *lilium* in Gallia, candardis ferri extremitati inscripta, in dorso, ma-nu ac facie imprimuntur notoriis. Romani Kalumniatoribus inurebant K. literam. In China signantur pigri candardi ferrô. Ita *Capillos mere-tricum* patibulis adfigi vulgo notum est. *Barbae* quoque sæpiissimè & ipsa *super-cilia* in dedecus jam dempta, jam semi-rasa fuerunt.

CAPUT IX.

De Vestibus.

IN *Vestitu*, sexus olim nulla habita ratio est. Primorum Parentum ut & veterum Germanorum, in utroque sexu idem genus *vestis* erat, eademque forma. Credibile enim est Adamum & Evam, manibus propriis primò pro tegmine usos, postea foliis sicūs, donec ab ipso D E O *vestes pelliceas* accepissent. Quod deinde D E U S ipse discriminari severo interdicto voluit. Romanis quoque cautum Legibus, ne vestes promiscuè induerentur; nec dolosè sexum *vestitu* quis mentiretur.

In Brasilia, & pluribus aliis locis, *foliorum fasciculō* sola genitalia obviant idque senes, non quidem tam verecundiā ducti, quām tegendi morbi causā, quō in senectute partes pudendae conflictari ipsis solent. Portantur ab illis etiam in Europam *vestes ex ar.*

ex arborum libris. Indi ferunt ex *tēge te vestem*, quam ubi ē flumine traxerunt, texentes in modum storeæ, ut thoracem sibi induunt.

Æthiopes nudi cætera, *ovillis caudis* sola pudenda velare, satis habent. *Ursinæ pellis* tegmine delectati olim fortissimi, desides domi, iisdem sibi substratis, jacuerunt: unde in genus convitii proverbio apud Germanos abiit: *Beeren heuter.* Galli veteres *animalium exuvias*, ad terrendos hostes induebantur, Reges eorundem pelle *mitris Pontici* usi in vestibus, cæruleo & argenteo colore eam variegatas. Abissinorum quoque adhucdum, vestes omnes sunt ex pellibus. Nobilium verò insigne ibidem, *exuvias Leonum* aut *Tigridum* portare.

Tartari, Moschovitæ & Poloni etiam media æstate *longissimas togas* & sui moris *mitras* tergoribus brutorum obduetas, induunt, ubi plebs *tunicas* constanter portat merè *pelliceas*. Herculem

culm scriptores leonina pelle induunt, Bacchum Parthica Tygri. Hinc Reges Macedoniae à Maximo Hercule oriundi, loco diadematis, *pelle capitinis Leonis*, in summo vertice decorati. In Ægypto verò non solum Leoninum, sed & *Draconis* & *Tauri caput*, capitinis Principis insigne promiscuè fuit.

Romani Sponsam jam optimè ornatam, *lunatæ pelli* juſſerunt infidere, aliis animalium tergoribus sub pedibus stratis, quô veterem parcum vestiendi modum indicârunt. Hodie Juxus vestibus modum ademit; nam ut plurimum, non tam frigoris arcendi, quam ornatûs causâ vestes pellibus iisque pretiosissimis distingvi videmus. Veneramur hîc Regum & Electorum *togas*, ac *pileos pellibus flammatiſis* decoratos. Sunt etiam in usu, in primis castrorum, *vestes merè coriaceæ*.

Nec solæ pelles huic usui dicatæ,
alæ etiam & pennæ avium huc tractæ,
quod in America frequens, integras
vestes ex avium plumulis mirâ elegan-
tiâ contexi. *Ossibus* quoque superbi-
unt multi. *Dentibus* ad usus varios.
Ex *murice* olim *Regius* color, hodie
ex aliis vermiculis æquivalens petitur.
Et quos non vestit *bombyx*? In Insula
Negroponte conficiunt ex *Amianto*
lapide pannam, igne purificandum.
Multi cæforum hominum cutem con-
suere, eoque pro vestitu uti, confue-
verunt.

Formas verò vestium quis enume-
ret? Laudari hic meritò potest Helve-
tiorum & Polonorum constantia, li-
cet paucis abhinc annis, Magnates
corum Gallico ritu amicti observari
cœperint. Macedonibus fuit omen
non adeo gratum, quòd Rex Persa-
rum more vestiretur. Germani certè
hodie inconstantiae Gallorum in vesti-
bus, nihil cedunt, hos modis omni-

D bus

bus studiosè imitantes; adeò ut omniū fere Principum Germanorum ministri resideant Parisiis, eam saltēm ob causam, ut de novo inventam & usurpari cœptam vestimenti formam, in exemplari ad Aulas patrias mittānt imitandam. Belgæ Confoederati, qui potentiae Gallorum inimici sunt, Magnæ Britanniæ Regis Aulam in vestendo sibi exemplarem, non ita pri-dem elegerunt.

Turcæ Germanorum vestitum detestantur, eò quòd partes corporis nimium exprimant, quod certè maximè in Svevica plebe non sine risu observabile; præterea quòd Germani *nigris* magnam partem *vestibus* delentur: quod illi fatale ducunt, scitum Magistri sui Muhammedis religiosè observantes, qui persuasit, Paradisi incolas omne genus coloribus, exceptō nigrō, ornatos esse.

Galli, cum anni tempore, *ligularum* seu *teniarum* colores variare solent,
Vere

Vere ferunt plerumque *virides*, quidam etiam *albas*; Æstate placet *Persicus color* vel *rubens*; Autumno vestes ornantur *ligulis cæruleis*; hybernant autem ut plurimum cum *rubro* aut *flammeo*: *Niger* verò color sine discrimine semper conveniens putatur.

Sunt quædam vestes non tam tegendi, quæm ornandi causâ excogitata; nec tam vestes, quæm symbola dignitatum, quibus à sequiori plebe dignoscantur. Ut nihil hōc locō de Coronis, integrum Discursus nostri Caput occupaturis, dicam. Æthiopum Abissinorum Regis facies est semper *cæruleo byffo* tecta, quam erga eos aperit, quos clementer excipit. Plerique Reges Orientis habuerunt *candidi coloris* diadema; alibi *purpureum* obtinuit, alibi *flavum*. Persis fuit *albō* distincta *cærulea fascia*; Africanorum Regum tempora *candidâ vittâ* redimita; in Græcia, diadema

capitis totum fuit ex *unionibus*; Macedonum tamē Regibus *caput Leonis*, & *Ægyptiorum Draconis*, vittæ locò fuit. Serenissimorum Electorum mitræ hodie, multùm altiori, quām mediō, post coronas ordine, hodie ponendæ.

Papæ nondum coronato *rubra bys*
sinea mitra est imposita, antequam
conclave, in quo electus est, aperiatu;
postea succedit *insula Episcopalis*, tandem *Corona triplex*. Cardinales, suæ Dignitatis latis pileis seu *petatis rubris* donantur; quibus tamen etiam, maximè in pompa post Papæ coronationem, *argenteæ insulæ* attribuuntur. Episcoporum capita teguntur sui ordinis *insulis*, quibus præterea sunt *lati nigri pilei*, viridi aliquo interpolati. Ejusdem figuræ *insulas*, sed non æquè pretiosas, gerunt etiam Abbates. Summus olim apud Hebræos Pontifex *mitram crescenti lunæ similem* gessisse scribitur: hinc derivata

vatæ infulæ Pontificiæ, hanc formam exprimentes, in symbolum, ut volunt, Ecclesiæ crescentis. Tales autem *infulæ* Archi-Episcopis dantur clausæ cum *gemma* in cacumine *cruce*. Eadem tribuitur Episcopis quoque *clausa*, sed parùm ad dextram versa; Abbatibus verò *aperta*, ita ut utrumque bicornis infulæ cacumen æquè notari possit, cum spatio intermedio.

Pileatos esse servis olim non licet, & indè liberi facti, ad pileum vocati dicebantur: tales demum manumissi incedebant *pileati*. Ante defuncti Patroni manumissoris cadaver quoque prope sepulcrum capite induito, funebris pompæ partem faciebant. Hinc usu venit, ut in inaugurationibus Academicis, Candidatis ex discentium pulvere, quasi servitute, in Docentium libertatem cum privilegio venientibus, imponantur *Pilei*, Doctoribus quidem *rubicantes*, Ma-

gistris verò *ianthini* sive *violacei*, ex
holosericō.

Rex & Regina Calecuti, nunquam
solent magnificè ornari; sed Regem
qui sequuntur, pompam absolvunt,
gerentes singuli *purpureas* circa caput
fascias. Fuit etiam peculiaris in Afri-
ca Equitum ordo, *rubræ* atque *albæ*
fascia. Persæ operimentō capitis utun-
tur *laneō*, Turcæ *lineō* cōque subtilissi-
mō Tulipantō, duodecim plicaturis
compactō, in memoriam duodecim
filiorum Ocenis. Tulipantum au-
tem Persarum solet esse *rubrum*, (indē
vulgò rubri Turcæ vocantur:) Tur-
carum verò *viride* aut *album*. Tur-
cis præterea solet insigne Nobilium
signum esse, *coloratis avium alis* aut
pennis erectis, in diētis capitum fasci-
is, uti: ast inferiores contenti sunt
nigris aut *candidis*. Sic Magnates Po-
loni & Hungari, præcipue militum
Præfecti delectantur certis avium plu-
mis, pro capitis sui cristi erigendis,
in pri-

in primis *Gruum*, *Aquilarum*, *Falco-
num*, & certarum *Ardearum* orientali-
um, quas in aureis vaginis seu auliscis,
sæpe gæmmis & lapidibus pretiosissi-
mis distinctis excipere, & mitris suis
appingere solent, sæpe tam gravis ex
metallo ponderis, ut pileos equitan-
tium excutiant, nisi amenta aut cor-
dæ submentales à casu defendant.

Apud Venetos non licet aliis,
quam Nobilibus, *mitras* ad modum
Hungarorum gestare. Regni Congo
incolæ tegunt capita *putaminibus* *In-
dicarum nucum*. Veterum alii *flori-
bus*, alii *fasciis*, pars *pennis*, nonnul-
li etiam *vivis avibus* capita cinxerunt.
Muliebrium verò *capitum* ornamen-
ta quis numeret? Aliæ enim capite
nudato ambulant; aliæ *coronâ*, non-
nullæ *retibus* & *vittis* capita obnu-
bunt; aliæ *pileis*; aliæ aliis; quædam
etiam, ad tempus, *larvis* obscurant.
Gallicarum, *Flandricarum*, aliarumq;
maximè quando pluit, peculiaria mul-

ta & ridicula capitum tegmina recensere longum & inutile foret. Moschovitarum filiae nubiles *pileos* è pellibus vulpinis & formâ longiores portant. Romæ, novæ nuptæ capiti, de dono Sponsi, imponebatur *velum*, quô facies ejus tegebatur, *Flammeum* dictum: qui color datus est, nè pudor & rubor virginis cuique proderetur, & si quis in facie rubor notaretur, è velo, non è genis emicâsse putaretur. Reliquum mulierum passim ornatum, ut & *collaria* virorum non attingam de industria, veritus, nè antequam descripsi, mutentur, & relationem meam refutent. Theologi passim & nonnullarum magnarum Civitatum Senatores, retinent adhuc veterum mirè *plicata collaria*; Poloni cum multis aliis, nullis omnino utuntur.

Palliis alii utuntur, in publicum prodituri; Japonenses contrâ domum reversi demum iis sese obvelant. Imperatorius ornatus, & Electorum Seculari-

Iarium est *holosericus* ex bysso, Ecclesiasticorum verò *Togæ* sunt *coccineæ*, ex panno cum collari & mitra nigris maculis intus & circa humeros punctatæ. His tamen tum Imperator, tum Electores in solennitatibus solum induiti conspicuntur. In Gallia comburi solet, post inaugurationem Regia vestis & Chirothecæ. Apud veteres Persas, oportuit novum Regem, Stolâ suâ depositâ, Cyri adhuc satellitis, vestem induere: quemadmodum & Hungarorum Reges nonnisi Hungarica veste induiti coronantur. Maximi Moschovitarū Czaris *pallium*, maximis undique gemmis obrutum esse scribitur; sicuti & Turcarum Sultani, solennioris vestis splendor, adstantium oculos corrumpit.

Regius in China color, *Flavus* est, omnibus aliis interdictus, in crimen usque perduellionis; nisi fortè Regem sangvine attingant. Flava præterea talis Regis vestis *draconum icunculis*

distingvi & exornari solet. Color *viridis* videtur apud Turcas in tanto esse pretio, ut nemo non ex steinmate Mahummedis eō sustineat totus indui. Turcæ *nigrum* vestitum aversantur, quò Hispani adeò gaudent, ut nullus Legatus ad Regem Hispaniæ, nisi *nigris* indutus, accedere debat. Parium Galliæ peculiaris vestis est *Tunicæ* ab humeris ad genua argento intexta, & *violaceum* aurô distinctum *Pallium*. Imperatoriæ Cæsarum Chirothecæ sunt ex puro auro textæ, & margaritis optimè ornatæ; sic induitur & Angliæ Rex solennibus *chirothecis* in symbolum innocentiaæ.

Consulibus Romanis omnia Regum insignia permissa fuerunt, exceptâ *coronâ* & *togâ palmata*. Senatores ibidem in certis solennibus in *albis prætextis* aderant, & multi purpuriati solebant autem plerique tunicam latiore purpuræ fascia circum dare, ad ornatum splendidiorem. Legatis

gatis apud eosdem fuit sacra, *purpurea Stola*, sicut hodie in Porta Turcarum Sultani usu venit, Legatis *longam* sui generis, aurô intertextam *togam* donari. In triumphis verò, etiam lictores processerunt in publicum fulgenti purpurā amicti. Sic hodie liberarum Imperii Civitatum Senatores, peculiares sibi togas circumdant: ita Coloniæ Agrippinæ Consules, induunt *togam* ex altero latere *rubentem*, ex altero verò *nigram*: ita & alibi coloribus diversis pro ratione Civitatis Insignium variatis. Ita diversicoloribus omnes publici Ministri, usque ad lictores & carnifices, indui solent. In urbibus verò Hollandicis, qui ad senatum pertinent oppidanum, habent in tunice laterali parte ejus urbis nomen. Unicum ingratum Glastum est in Imperio prohibitum vendi, & quæcunque tandem eō tincta, sub confiscationis pœna. Veteres Veneti portabant longiores

cum manicis togas. Hodie utuntur plurimi eorum *nigro vestitu*, nisi quod Magistratus *purpureis togis* materiae subtilioris praे aliis honoretur.

Qui Magistratum olim ambiebant, sunt vocati Candidati, ab indumento *Candido*, quō amicti incedebant. Ire autem debebant in sola tunica, togā prorsus destituti, nè argentum sinu fortè ferentes quem corrumperent ambitu. Romanorum nobiles pueri cum ex ephiebis excessissent, togā, cui *purpurea prætexta* fuit, in duebantur, ut purpuræ rubedine ad ingenuitatis ruborem dirigerentur: in eadem toga, ad cordis regionem, rubedine patens cor assūtum fuit, quod observare sollicitè tenebantur; Septimo decimo tandem ætatis anno, depositā prætextā, capiebant *virilem togam*. Lycurgus legislator; Laconicis juvenibus, non pluribus una veste, integrō annō uti permisit, nec alium aliō incedere cultiorem.

Palli-

Pallium fuit olim peculiaris Philosophi nota. Maxima eorum varietas conspicitur in Anglia, maximè in Academiis. In quibusdam Germaniæ Academijis cinguntur Magnifici Rectores, magno, verius collari, quam palliō dicendō, rubrō holosericō. Alibi verò ad pedes usque solent Professores singulari vestitu incedere. Rector Universitatis Patavinæ incedit Senatorum Venetorum more Purpuratus, imò nonnunquam *Stolâ aureâ* ornatus. Magistri atque Bachelorei, quando inaugurantur, pro more quarundam Academiarū, stant in Cathedra ornati Senatoria veste. Multi Pedelli sive ministri Academicī, habent quoque suas singulares longas latasque togas.

Papa Romanus noviter electus, deponit Cardinalitium ornatum, cuius loco, *albâ tapheteâ togâ*, Sacerdotali castulâ & palliō Episcopali à Cardinalibus cingitur: sed Conclavi, ubi eli-

gi solet, referatō, demitur ipsi hic
ornatus, & Sacerdotalis amictus datur
alius, *indusium* nempe, *Stola* & *Pallium Papale*; imò ex Constantini Ma-
gni largitione ex Insignibus Impera-
toriis Pontifici quoque permissam es-
se scribunt *tunicam coccineam*, *chlamy-
dem purpuream* & cæterum ornatum
vestiarium Cæsarum. *Violacea Pallia*
Cardinalium, paria vix habent, si re-
quisita consideres. *Episcopalis fusca*
vestis est *candidis manicis* ornata. Ar-
chiepiscopis præterea singularis cha-
racter & ornatus datur, *Pallium Archi-
episcopale* dictum; cuius conficiendi
& dandi ceremonia hæc fere est: In
die Agnetis Virginis, qui est dies 21.
Januarii Mensis, in Templo Divæ A-
gnetis Romæ, cùm in Missa implora-
tur Agnus Dei, super altare ponun-
tur agni duo candidi. Hi mittuntur
in pascua, suoque tempore tonden-
tur, ex eaque lana permixta reliquæ
lanæ, cùm in filum ducta fuerit, pa-
rantur

rantur Pallia, rectius teniae; nam latitudine sunt ad tres digitos, ab humeris propendent in pectus & renes, ad extremum sunt laminæ plumbeæ tenues, ejusdem latitudinis. Ad hunc modum contexta deferuntur ad corpora D. Petri & Pauli, ibique relinquentur per noctem unam. Altera die indè recepta, honesto loco assertantur, tamdiu donec Archi-Episcopus aliquis, aut ejus procurator, dari petit: petenti traditur multis cum ceremoniis & magnâ pretio; coguntur enim redimere viginti quinque millibus fiorenorum Rhenensium. Sepeliri autem solet Archi-Episcopus mortuus cum pallio, nec licet illud transferre in successorem, sed quisque tenetur illud Romæ sibi isto pretio comparare, quod inmane quantum exhauiat Diocesanos incolas. Cæteri Clerici semper, diversi ordinis, diverso habitu, vestisque colore distincti sunt.

In prima Ecclesia, adulti, qui ad Christianam religionem convertendi,
& qua-

& quasi modò geniti, baptizandi es-
sent, ut alii olim, ab *albis vestibus*,
dicebantur etiam *Candidati*. Sic Chri-
stiani, aut Judæi Muhammedismum
amplexi, circumcisionis die, solenni
aliqua egregia veste, & Tulipantō
viridi, ornantur. Concionatores
Evangelici in Germania non eodem
modò vestiti ubique incedunt: alii
enim brevissimā, multis plicaturis
contraetā, sed infernē latissimā tunicā
induuntur, *pallio* insuper longissimō cor-
pora cingunt; alibi longis togis, to-
gæ & pallii loco decorantur; alibi, ut
in Belgio & Gallia nullas peculiares
& à plebis usu distinctas vestes habēt.
Sacerdotes in Pegu induuntur omnes
colore flavo, Soli ibidem sacro, quem
colunt. Judæorum Sacerdotibus De-
us ex *auro*, *flavo*, item *albo* & *rubro* se-
rico tunicam voluit confici, cui alia
flava subter indui debebat, in cuius
extremitate ima, fabricata mala pu-
nica, & tintinnabula adnexa essent,
cui

cui præterea alia angustior alba adjicienda erat, & zona acu picta. Pharisæos latissimas suarum vestium fimbrias gessisse, Evangelica historia testatur.

Togâ pacis tempore Romani uti consueverunt, ita fuit Sagum Marti consecratum. Romanus Triumphantor pictâ & purpureâ *Togâ* aurô optimè ornatâ indui est solitus, quam alii *Palmatâ*, cui palmæ imagines fuerint impressæ, nuncupârunt; alii *Clavatam*, quæ clavos purpureos quasi impactos referebat. *Equites aurei Velleris* incedunt *stolâ coccineâ*, cuius fimbria acu picta est, ut chalybes, silices & flamas indè genitas repræsentet, quibus *agnelli aurei* interlocati; hodie tamen stolæ eorundem fiunt etiam ex *serico carmesino*, fimbria manente eadem. Certis verò diebus incedunt fuscis vestimentis lugubribus; alias utuntur vestibus aliis pro lubitu. *Equites S. Michaëlis* induuntur *pallii*

ex Da-

ex *Damasceno* opere, aurò in extremis
tibis, & intus *pellibus hermelinis* di-
ctis, interpolatis, ad fimbrias verò
coeleas ferentibus. Præfeti hujus
ordinis incedunt *albis longissimis pal-*
liis, viridi intus colore conspicuis.
Equites Malenses Johanni sacri, ha-
bent nigra vestimenta argenteis cru-
cibus in sinistra parte insignita. Ser-
vientes ipsis gerunt nonnisi dimidi-
um candidæ crucis.

Veterem luctatorem, armatum o-
portuit incedere crassò lancò pannò:
ita ut & pileus & tunica & caligæ es-
sent conjuncta, coriò ornata, & linteo
penitus destituta. Antiquis militi-
bus Germanis fuit gratum vestē mar-
tialem coloratam, vel communi mo-
dò, vel etiam cataphractis superindue-
re. Hinc manserunt in Comitum
Palatinorum Rheni Insignibus seu Ar-
mis, cum cœruleis & argenteis Rhom-
boidibus variè variegatæ particulæ
eiusmodi Militarium Sagorum.

Spon-

Sponsa Romana olim, singulari tunicā, quam *Rectam* dixerunt, cùm quasi rigens staret, indui est solita; pòst cingebatur zonā coniectā ex lana ovis, quæ indicaret eam alligandam marito. Illustriorum Fœminarum vestes solent parte postica esse longiores, atque caudæ illæ à nobilibus famulis portari; sed in solennitatibus feruntur ab aliis, sæpe pluribus virginibus collegis, in linea una simul sequentibus. Hispanæ in extrema stolæ seu tunicæ suæ ora habent circulum ferreum ingentem, magna sæpe molestia portandam. In Anglia quotannis ipsis Calendis Maji, dum Majumæ festum celebratur, quo colore & quâ formâ Regina, aut hac deficiente, proxima Regis consangvinea fuerit induta, eō utuntur totô illô annô fœminæ Primariae. Danicæ & Norvegicæ cum finitimis, utuntur nigris & longissimis cum multis plicis palliis.

Circa

Circa caligas non ita multum habemus, quod annotemus. Serenissimorum Electorum Secularium solennes caligæ constant ex rubro holoserico; Ecclesiasticorum ex nigro serico vel panno. Turcæ plerumque induunt rubras in ludibrium Persarum, à quorū religione schismate abeunt: Persæ contrà virides, quibus religiosas Turcarum mitras offendant. In Turcia viridibus, & in Persia rubicantibus indutum comparere caligis, capite staret.

Purpura Imperatoribus in tantum arrisit, ut etiam *ocreis* atque *calceis* *purpureis* voluerint uti. Superiorib' seculis Nobiles Germaniæ præ cæteris *cæruleis tibialibus* delectabantur; Polonorum & Hungarorum Generosi *flavis ocreis* incedere sibi regale ducent. In Regno Chinensi, si quis re optimè gesta Magistratu abeat, præcipue si munere defunctus discedat ab urbe, relinquit ibi suas *ocreas*, insigne

gne Magistratūs, ad beneficij perpetuum monumentum: quæ cum scriptis ejus, in archivis aſſervabuntur.

Ocreæ sunt Equitum propriæ, adeoque in Germania & alibi paſſum foliſ
maribus uſitatæ; ſed in Polonia &
Hungaria iuſdem indutæ etiam ince-
dunt Fœminæ. *Aureis calcaribus ar-*
mari, olim folorum Equitum ſolen-
niter creatorum, fuit: uti & *aurea*
perifcelide gemmis interſertis ornari,
folorum ILLUSTRISSIMORUM Regii ordi-
niſ Equitum, & quidem in ſinistra
folūm ſura; quod tamen hodie & alii,
nullo id quidem jure, uſurpant. Cre-
ſcentis Romanæ Reipublicæ initiō, ipſi
quoq; Senatores diſcalceati erant pror-
fuſ, pulverulentis pedibus vel in pu-
blico conſpicui: poſtea verò ſeculo
politiore, *nudatis* cum Catone *pedi-*
bus ambulare, facta eſt res ſcandali:
hinc quidam eorum *nigris*, alii *ebur-*
neis fibulis lunatis calceis utebantur.

Socculi fuerunt primis temporibus inuliebres & effœminatorum ; sed postea vulgò usitati. Caus Princeps *soccus* induit ex margaritis ; Sponsa Romanorum peculiariter olim solita luteis *socculis* ornari. Cæsarum *Sandalia* & *calcei*, sunt *aurei*, villoso coco *rubricati* ; Pontifici Romano sunt sua solennia *crucigera* inaurata pretiosissima *sandalia*. Electorum Secularium solennes *calcei* sunt ex *rubra* purpura ; Ecclesiasticorum ex *serico nigro* vel simili panno. Sumorum Principum præcipui Ministri calceorum vinculis hodie gemmas nitentes inferunt, imò & ligulis variè ornare ex Gallia receperunt. In Westphalia & alibi aliqui ex paupere plebe solent *calceis ligneis*, ut vocant, Sanct-Christophorinis, indui. Russi, Livoni, Lithyani & Poloni abjectiores, *arborum cortices* alternatim dispositos aptant pedibus in calceorum defectu. Sacerdotes Ægyptii circum-

dant

dant pedes suos tantummodo *papyraceis* è Nilo petitis.

Judæi olim, Romani, Græci, Turcæ in conviviis ad mensam collocandi deponebant *calceos*; nè vicinorum accumbentium vestes conspurcarent: hinc & pedes accubituri lavabant. Idem Turcæ & Abissini Templum ingressuri, liberant pedes *calceis*. Solvere seras calcei & calceos portare, vilissimum olim fuit ministerium, itemque pedes alterius lavare: sunt, qui Hebræos, servos sibi factos Cananæos, ad ferendum calceos adhibuissent credant. In Belgio quoque non boni consulitur vulgaribus crepidis & calceis conclavia intrare omnia.

Lugubris vestitus, pro varietate loci, observatur varius. Mares plerumque per Germaniam & viciniam *longis palliis* cincti incedunt. Illustrum pallia in luctu ~~in~~ tantū excedunt, ut posterior extremitas ab alio sit portanda, nè terram verrat. Pilei in luctu

Et uel circumdantur *byssino*, vel prorsus teguntur, reliquo *longiusculo syr-*
mate retrò dependente. Principes in
luctu, ejusmodi nubibus etiam faci-
em celare solent. Mulieres verò Ger-
manicæ *linteō albō* absolvunt luctūs ce-
remonias, sub hoc albo tegmine ni-
gras interulas induentes. Alibi ve-
rò tum viri, tum mulieres *atratæ lu-*
gent, in noctis & sepulcri symbolum,
tracto usu ex penitiore gentilismo. In
Dania & quibusdam Germanicæ locis
mulieres defunctas proximas mœren-
tes tegunt suis *per longis palliis capita*
& vultum. Chinensium vestis lugu-
bris non pulla, sed communiter omni-
bus, fuit *candida*: in luctu verò pa-
rentum induuntur liberi *asperrimo a-*
mictu cannabino.

Galliæ & Angliæ Reges indicant
luctum *purpurā violaceā*, & Rege lu-
gente, Nobilibus, *subcæruleis vesti-*
bus non uti nefas esset. In Polonia
lugent quoque *rubrō* induti. Inter
No-

Nobiles familias Frisiorum olim, vi-
dua defuncti mariti cadaver nuptiali
habitu ornata & multùm compta se-
quebatur; postea tamen nunquam de-
nuo eō utebatur, nisi ad secunda vo-
ta transiisset. Turcis omnino nullus
habitū lugubris, nisi ob solum Sul-
tanum vitā funētum, conceditur. Æ-
gyptii, & multi alii Orientales popu-
li, suos propinquos terræ mandantes,
Judæorum more vestes suas lacerare,
& cinere vel lutō capita turbare solent.

Illustres & Nobiles in Imperio Ro-
mano, sibi inservientes, in primis pe-
dissequos, tubicines, aurigas, vesti-
bus diversimodè coloratis, & ligulis
sive teniis variè distinctis, distingve-
re ab aliorum famulis contendunt,
colores in *vestes* istas *tesserarias*, è
gentilitiis Insignibus petentes. Omni-
bus fere venatoribus manet ubique
viridis vestitus. Tubicinum & Tym-
panotribarum tunicis adduntur præ-
ter colores ex humeris retro pendulæ

quasi *alæ* potius, quam manicæ. Aulicos quoque & publicos Moriones, singulari & ridiculo plerumque vestitu ab aliis distinctos observamus. Quemadmodum verò vestes quædam in præmium conceduntur, ita dantur etiam in pœnam; & in pœnam vicissim aliquando adimuntur. Nobiles apud Persas raro olim in corpore obdelicta luere visi, sed flagellati sunt in vestibus notis, & tiaræ pro capitibus & ad aures ex galeis pendentia fila sunt præcisa. Hispanorum debitor, cum non est solvendo, in servitutem creditoris abibit, & ferreum collare portare tamdiu cogetur, dum ultimus quadrans persolutus sit. Delinquentes apud Germanos, *Hispanico*, ut vocant, *pallio ligneo* induti per publicas plateas circumducuntur. Ita milites delinquentes variis in ludibrium excogitatis vestibus amicti omnibus exponuntur conspiciendi. Jesuitæ, qui alias quadratis mitris uti solent, Parisi-

Parisiis, nonnisi tribus elevatis mitræ angulis incedunt, quartus prorsus olim fuit demptus; sed hodie sufficit quartum minorem esse reliquis tribus. Judæi, Francofurti degentes, ex *cra-ceis filis* circulos ad pectus gerere, & fœminæ eorundem, pepla *cæruleis notis* signare coguntur. Piscatores Veneti, ab imprudente quodam fatioso piscatore Duce, adhuc, nonnisi stantes, & capite ac pedibus nudatis tencentur pisces vendere.

Vestes commendant formam & addunt Majestati multum; sunt tamen virtute insita satis venerandi Principes hodie multi, qui raro pretiosis induiti vestibus conspicuntur, quod olim quoque nonnullis moris fuit: sic Augustus simplici ut plurimum veste usus, uxoris aut filiæ opere contentus. Vespasianus plerumque est visus, ut humilimus miles amictus. Aurelianus Imperator nec habuit ipse vestes pretiosas, nec concessit con-

jugi aut liberis: ut & alii multi dein-
ceps hos imitati, morib⁹ potius quām
vestibus Sereni esse quārentes. Nec
olim, ut etiam hodie apud quosdam,
quodlibet cuilibet gerere, licebat:
sunt enim Respublicæ, qualis in pri-
mis Helvetiorum, ubi gemmarum,
auri & serici usus interdictus est, aut
certè ad certos homines restrictus.
Apud alios tamen luxus vestium su-
pra censum imperat sāpe esūriales
ferias.

CAPUT X.

De Coronis.

POtentis ille, qui dicitur Venator,
Nimrodus, conspecta aliquando
in aëre serenissimo, figurâ splenden-
tis *Coronæ*, eam, ad applicandum Ca-
piti Majestatico aptissimam reputans,
ejus instar aurō expressisse, ac Capitis
ornamentū sibi primus fecisse, fertur.
Nonnullis tamē videtur, simplicia Ca-
pitis diademata, variè cum hominum
luxu

luxu crescentia, in *Coronam* abiisse. Diademata enim initio erant saltēm fasciæ insignes, quibus in Majestate positi caput, cingebatur.

Coronæ variæ ex variis semper materiis fuere. Fasciis enim prius & floribus usi mortales, quorū utrumque adhuc in usu persttit. *Floreæ* autem *Coronæ* non semper ex iisdem florum generibus contextæ; constiterunt enim sœpe ex multiplicibus sacrificiis Floræ. Fuerunt aliæ etiam ex foliis graminum & aliis herbis ordinatæ; aliæ etiam flexæ frondes optimarum arborum; imò etiam ex fructibus, ex radicibus & aromatum variis generibus compingi solitæ. Agfilao fuit data *papyracea*. Invaluerunt tandem *Coronæ* ex variis metallorum generibus, quæ unionib⁹ & gemmis ac ligulis ornari cœperunt.

Ut olim, ita hodie in usu maximè *Coronæ circulares*. Habemus tamen etiam *ovales* à forma sic dictas, talem

Turcarum Sultanus Iconii, Henrico Leoni ex peregrinatione Hyerosolymitana reverso, argenteam dono dedit, quæ hodieque Brunsvici in æde Blasio sacra, asservatur. Eiusdem quoque sunt figuræ, in anteriore tamen parte acutiores, *frondearum* figuræ, quas nonnunquam in Principum aliorumque imaginibus observamus. *Pyramidales* Papæ & Regum Coronæ funerales passim occurunt.

Olim faciem quoque *Coronis floreis* ornavere; alii & collum; alii pectus; alii pedes ipsos: quæ hodie non obtinent. Brachia tamen & manus coronandi, tum floribus, tum aurô, morem nondum extinxere tempora. Sponsum & in Sponsalium festo primarios ministros, pileos *corollis floreis* passim in Germania ornare observamus. Nihil usitatus, quam vulgo puellas *circulum floreum*, majorem minoremve, in summo ferre vertice. Nonnulli veterum, etiā galeas, non nisi

nisi hoc modo coronatas, capitibus
induebant, ita & mitras. Hinc de-
scenderunt *Coronæ* ad ipsa Nobilium
Insignia seu Arma, in quibus plerum-
que eorum Galeis imponuntur. Non-
nunquam tamen etiam infra Galeas
conspicitur *Corona* peculiaris, ut in
nonnullis Familiis earumque armis
observamus; imò etiam circa Galeæ
collum, & deficientibus Galeis, in
ipsis Scutis, modò ut ea *Coronæ* pre-
mant, modò, ut ea nè quidem tan-
gant. Absunt verò etiam à multis
Insignibus prorsus.

Sed missis veterum *Coronis*, hodi-
ernas illis multùm anteponendas alle-
gabimus, pro Dignitatum diversita-
te. Missâ *Argenteâ* Romanâ & *Fer-
reâ* Longobardicâ, æstimamus mul-
tùm & præcipuam agnoscimus Ger-
manicam illam Majestaticam Caroli
Magni, quam Sacratissimi Leopoldi
omnium Serenissimo Capiti, Teuto-
nici Principes Electores, solenni ritu
E 4 impo-

imposuerunt. Ea custoditur hodie Noribergæ. Qui eam non vidit, in Archi-Thesaurarii, Electoris Palatini effigie, manibus eam tenentis, inspiciat. Hoc notandum, quod *Corona* hæc, omnium maximè clausa est; quod maximi Monarchæ, Imperatoris nempe Germano-Romani Diadema sit. Ex *Corona Regia* & quasi *Infula Episcopali* videtur cōposita, cùm Imperii Vasalli, partim sint Regum æmuli Seculares Electores, partim Ecclesiastici Primates. Eandem in duas quasi parteis divisam intuemur; sed semicirculi superioris collis una dimidia pars abest: quod fortè amissum Orientem denotat, ad quem recuperandum Cæsares invitare videtur. Aut fortè, nec id obscurò indicio, significat Imperii administrationem, partim ab Augustissimo Imperatore, ut Capite; partim à Venerandis Statibus, ab altera parte, pendere. Crux eidem Coronæ antrorsum superadposita

sita ex auro, adamantibus & unionibus affabre formata.

Regium diadema, sic enim *Coronam* nuncupare licet, hodie, non ut olim, clausum cernitur, ob potestatem absolutam, solis Regum personis attributam. Semicirculares colles constituunt in iis supremam superficiem, dimidiâ sphærâ altiore, quib⁹ quoque *Pallam* non unquam superaddunt. *Corona Regis Galliarum* gemmis atque margaritis hinc inde ornata optimè, & *Liliis*, Regni Insignibus, conspicua; *Anglica Crucibus & Liliis* alternatim positis; *Hispanica floribus Rosæ*. Sunt, qui Germanici Imperii Statibus & Vasallis Cæsaris ideo clausas *Coronas* denegari volunt, quod seipsis Imperatorem superiorem agnoscant: hinc etiam ad minimum semi-aperto capite coram eo comparere debent: sed annon Dux quoque Daniæ Petrus, cum ab Imperatore Friderico Primo Rex creatus esset, accepit

ab eodem *Coronam* suam & omnem
potestatem Regiam?

Moschovitarum Czaris *Corona* est
aliquando majoris æstimata, quæ
triplex Papalis & Imperatoria, Galli-
que Hispanique conjunctæ. *Corona*
radiata aurea, olim quidem Regibus
in usu fuisse dicitur; quidam tamen
afferunt, hoc non fuisse vivorum or-
namentum, sed mortuis demum &
in Divorum numerum relatis, hoc
tale radiis venerandum Deificationis
symbolum fuisse attributum. Hunga-
rica S. Stephani *Corona*, & Norvegi-
ca S. Olai, suo pretio & laude non
destituuntur. Reges in Pegu con-
tentí sunt coronari *coronâ* suâ plûbeâ.

Summus Pontifex Romanus tegi-
tur argenteâ pyramidali clausâ, tri-
bus Coronis aureis, pretiosis gemmis
distinctis circumdatâ mitrâ, quâ tri-
um antiquarum mundi partium sub-
jectionem denotari volunt; alii verò
in Cœlum, Terram & Infernum po-
testa-

testatem designari ajunt. In apice ejusdem fulget aurea crux.

Ducales Principum & Comitum *Coronæ* sunt apertæ. Imò Duces olim, ex communi usu, gerebant pileum rotundum, *Coronā* quādam circum-datum; nec erectā tamen, nec ascen-dente, sed in modum zonæ cingente. Austriæ Archi-Duci licet in pileolo Archi-Ducali purpureo & pelliculato Regiæ *Coronæ* latum aureum semicir-culum, & crucem Imperatoriam pu-blicè gerere. Venetorum Ducis au-reus pileus, est undique gemmis co-ronatus, inque summo apice, maxi-mō Carbunculō ornatus.

Principum tamen etiam *Corona*, rubente mitra prominentiore unioni-bus cincta, in cuius medio pallam est videre, clausæ passim videntur; sed hæc differentia est, quòd non sint æquè altæ ac Regiæ; inferiùs conspi-citur circulus variis gemmis ornatus, cui triangulata acumina, jam trifoli-

um, jam aliam auream gemmis coruscantem figuram sustentantia, addita; ita ut superior circulus inferiori peripheria longè videatur latior, concavitate aliqua in medio externæ superficie relicta. Galliæ Ducum *Coronas* ferunt foliis quercūs, cum subtus positis adamantibus, ornatas esse; ut Angliæ Ducum, crucibus & quibusdam floribus. Parium Galliæ *Corona* est gemmis atque margaritis fulgida.

Nulli Principes Muhammedani utuntur *Coronā* aureā, sed Tulipantē solō, eō tamen pretiosissimis gemmis ornatō. Dordrechti, in veteri Curia, nunc habitaculo privati hominis, asservatur Comitum Hollandiæ *Corona*, quæ nihil est aliud, quam par cornuum cervinorum suspensum, cui aureis literis inscriptum legitur; **C O R O N A C O M I T U M.** Sub hoc Carolus V. plures Comites Hollandiæ creaverat, ideo nomen adhæsit *Coronæ*. Baronum Insignibus, superpositis *Coronis*, olim

olim tenuior tantum circulus, mox radioli crassiores concessi fuerunt; hodie fulgent etiam gemmis. Pilei Cardinalium & Infulæ Episcoporum, *Coronarum* officiō funguntur. Optimates ex summo Foederati Belgii Senatu, & Admirales seu Classis marinæ Praefecti, auream spiram circa pileum gestant.

Dabantur olim *Corona* ob fortitudinem & rem bene gestam. In ovatione, quæ erat species triumphi, sed minoris & laboris & præmii, indè talis triumphator pedibus tantummodo incedens, *Coronā myrtleā* ornabatur. Erat aurea *Castrensis*, quæ ideo *Vallensis* dicta, quod Castrorum vallum-repræsentaret: hæc primūm castra hostium ingresso est tributa. *Muralis Corona* æquè aurea, muri pinnas ostentans, muros hostiles, vi primò ascendentibz ab Imperatore dabantur. Egregia *Equestris* erat, fortissimo Equiti donari solita. *Navalis*

verò ei obtigit, navium rostris insig-
nita, & figurā scarabæi notata, qui
prior præliò maritimō, in hostium na-
ves vi insiluisset. *Obsidionalis* quo-
que erat ex gramine texta *Corona*, quā
obsessos liberantis caput decoratum
est. *Civicam* accipiebant *Coronam*,
qui civem in bello servāssent. Erant
& Legatis ac Fecialibus *Coronæ* nunc
ex verbena textæ, nunc *oleagineæ*.

In Ludis quoque solennibus, qui
vicissent, *Coronā* aucti discedebant.
Olympiacis fuit *Corona oleaginea*, pòst
etiam dabatur *aenea*, tandemque & *au-
rea*. In Ludis Pythiis in honorem A-
pollinis institutis, initio donabatur
Corona laurea, successu temporis ibi-
dem victores unctiori præmiò exhila-
rati. Nemæi in Achaja victores *apiò*
sunt coronati. Isthmii verò in Pelo-
ponneso *pineis Coronis* erant contenti.
Superioribus seculis, in Torneamen-
tis laudati, reportarunt etiam sat opi-
mas *Coronas*, nonnunquam & annu-
lis

lis circumpendentibus. Dantur Poëtis quoque & Poëtriis sua præmia, corollæ ex lauri foliis contextæ. Sæpe tamen, etiam coronari pœna fuit vel contemptus: sic apud Cretenses fuerunt adulteri lanâ coronati, quæ mollities eorum designabatur. Depositionis ritu in Academiis initiandi, sicut etiam quorundam opificum tyrones, solent variè in ludibrium coronari.

CAPUT XI.

De Annulis.

*A*nnulus, egregius quoque est ornatius, & talis semper habitus. Moses primus omnium *Annuli* meminit, & quidem *Annuli* scortatoris Iudæ, Thamaræ nurui oppignorati, & paulò post Regii Josephi. Fuerunt autem inde ab antiquitate *Annuli* ex omnibus metallis, lapidibus, vitro atque ligno, imò etiam ex ossibus, ungvibus, rostris, corio & pilis. Dantur

tur etiam *Annuli* ex meris gemmis seu
lapidibus pretiosis, qualis *Annulus*
pronubus Mariae fuisse dicitur: qualem
etiam mihi in omnium ditissima & in-
structissima Camera Raritatum Ele-
ctorali, Dresdæ in Misnia videre li-
cuit. Ex stramine curvatos, videres
in Germania rusticas puellas ad hora-
rium ornatum gestare, saepe variis co-
loris Ossei prostant ubique venales,
& illi ex alcium ungulis tornati, qui
ex Borussia apportantur. *Annuli* ex
digiti humani corio facti, Magis &
Nigromantis non sunt ignoti. Ebur-
neos & ex Succino putant vulgo pro-
desse mulieribus portatas. Fiunt et-
iam ex pilis equinis atque camelinis
Annuli artificiose complicati omnium
colorum, & ex antimonio in vitrum
fuso, *medicinales*.

Ut plurimum *Annuli* manuum di-
gitis dicati; interdum tamen aliis quo-
que corporis membris adhibiti. Ho-
die maximus annulatorum numerus,
hos

hos circulos, gerit in digitis manūs
sinistræ, quod olim quoque factum,
idq; constantissimè à fortissimis Græ-
corum : Romani contrà militari an-
nulō dextram cingebant. Hodie vul-
gò Pollicem annulō ornare, faciunt
proprium Doctorum solenni ritu Aca-
demico renunciatorum ; Indicem di-
gitum verò Mercatoribus investien-
dum hoc ornatu concedunt, quamvis
nec hoc nec illud ubique verum. Di-
gitum longiorem seu Medium, qui &
Verpus à verrendo podice dictus est,
hôc modō ornare, stultorum esse vo-
lunt. Certè Romanorum servi, su-
um circulum in hoc digito gestabant.
Et peculiari nomine, medii digiti an-
nulus, vocabatur Coreanus. Digi-
tus à pollice quartus, propriè Annu-
laris habetur, dictus & cordialis, quòd
cordi respondere putetur: hic pecu-
liariter solet studiosis tribui. In hoc
gesserunt olim *Annulos prombos*, qui
hodie ut plurimum in pollice conspi-
ciun-

ciuntur. Minimum, omnium promptissimum ad auri inserviendum, unde & Auricularis vulgo, *Annulo* cingere, facit vulgare proverbium, amatorum proprium.

Servis Romanorum digitii pedum, fortassis in compedium memoriam, *Annulo* circumdati fuere. Sic hodie in calidioris zonae regionibus, Magnatum, tam virorum, quam foeminarum pedum digitii annulati esse solent. *Inaures Annulos* ubique observamus: immo dantur barbarae gentes, quae nares *Annulo* distingvunt, immo labia ipsa & genas. Gentes nudae coronant hodie etiam brachia, ut Hebrei olim, & Graeci ac Romani, quorum statuae hoc docent, immo crura, *Annulo* ponderosiore, vel etiam pluribus simul. Numerum quod attinet, Romani & Graeci, modò uno tantum usi, modò duobus pariter, modò pluribus simul. Hodie apud Magnates vix ultra unum eodem tempore geri

vide-

videmus. Plebejos tamen & mulierculas hac in parte luxuriare, & omnes fere digitos simul nitere observes.

Materia *Annulorum*, ut plurimum aurum, qui gemmis insertis solent pretiosiores reddi. Rex Angliae solet aureos & argenteos certis ceremoniis consecrare, quos ut donativum epilepticis remedium distribuit. *Annulus Piscatorius* dictus, recens creatorum Pontificum digito solet indi. Pronubus Ducis Veneti, aureus est, & gemmis omnino pretiosus, quali singulis annis, statu die solenni, Adriaticam Sponsam sibi devincire festali solet pompa. Principes Ecclesiastici, Imperii Vasalli infeudandi, accipiunt, praeter alia, etiam *Annulum aureum*. In Moschovia verò & Russia nunquam ulli Clerico, seu Episcopo sive inferiori, *Annulo* uti licet. Nec licuit olim Romæ *Annulo* ornatis esse, nisi quorum nobilium & patris & avi census fuerit quadraginta sestertia.

Qui

Qui Romæ triumphârunt, non haberunt, nisi ferreum in digito suo circulum; nè ad altissima animò effarentur. Sunt magni ministri Martis, qui ex ferrea patibuli catena, ex qua quis suspensus fuit, *Annulum* gestant, sperantes se indè ab ictibus armorum securos futuros. Legatis quoq; *Annulos* offerre, fuit moris, quos aureos in publico gesserunt, sumentes domi ferreos. Equites Malteses accipiunt suum quisque aureum in gemma cruce signata. Ita quoque habuit omnis ordo Senatorum Romanorum, aureum cum gemma *Annulum*; Tribuni militum & Equestris ordo, & ingenui atque liberti, *Annulos* etiam ex auro, sed sine gemmis: hinc collegit Hannibal apud Cannas ex quadraginta millibus pedestrum Romanorum & bis mille septingentis equitum cæforum cadaverib⁹, duos & dimidium modium annulorum. Carthaginensibus fuit usitatum,

tum, ut suis belli Ducibus, tot *Annulos* donarent, quot prælia fecissent. Si servus aureum gestaret, loco gemmæ habuit inclusam ferri particulam: sunt & ferreis ac etiam æneis in memoriam catenarum usi, & pro gemma, frustulò saxi. Videmus nostros rusticos, argenteos habere, sæpe quoque argenti tantum fucò superpictos.

Annuli, magnam partem, si signatarios excipias, ornatûs causâ saltèm portantur. Sic habuerunt singuli Assyrii singulos *Annulos*: & licuit Athenis, vel nequissimis servis, habere ferreos. *Annuli* sunt etiam in signum & præmium oblati Legatis & Equitibus, & non ita pridem in torneamenti Germanorum, fuerunt testimonia virtutis. *Annuli pronubi* sunt signum perfecti matrimonii: hos habuerunt Romani ferreos, aut sine gemma aureos, frugalitatis symbolum. Dantur *Annuli* & Monialib^o solitudini nupturis, ita & novitiis Doctoribus, atque

atque etiam à manumissore fuerunt olim peculiares *Annuli* divortii. Prodigo illi domum reverso, dedit pius pater in reconciliatæ gratiæ pignus quoque *Annulum*. Olim solebant *Annuli* cum infantibus exponi. Sepelire *Annulos* cum mortuis, non est novum: olim etiam illos urnis impo-suere. Dantur quoque atrati en-austò *Annuli*, ad luctum indicandum.

CAPUT XII.

*De Pensilibus instru-
mentis.*

DANTUR *pensilia* ornamenta omni-um fere membrorum corporis humani. Quod Caput attinet, infini-ti esset laboris, saltēm mulierum *pensilem* ornatum mihi enarrandum sumere. Persæ certè habuerunt ex galeis pendentia magni honoris fila: fuit quoque gloriæ, *fracta de casside buccula pendens*; ut Juvenalis loqui-tur. *Inaures* sunt præcipuum, &

non-

nonnullibi utrique sexui commune ornamentum: in Europa tamen ut plurimum solarū sunt Fœminarum, eæque sunt vel ex auro splendentes gemmæ, vel cœruleantes niveæ margaritæ, nonnunquam aurum solidum; inferioris sellæ puellæ habent vilius metallum. Americani *aurium gestamen* habent etiam ex ossibus, sed albissimis, quemadmodum & ex splendenti prægrandi cochlea; ut eminus pendulas canum aures referant. Quot præterea conspicimus varia pendula *frontalia*, ut Hebræorum olim Sacerdotes, & apud exterios legim⁹ ex naribus, labiis & genis ctiam ætatis & dignitatis notas.

Ad pensilia referimus *Catenas*, quæ etiam cum dignitatibus variè variant. Evam volunt posteris occasionem reliquisse eas introducendi. Olim e quidem fœminarū ornatus fuit imaginem serpentis circa collum gerere, quò ipsæ prudentiæ monerentur in refami-

familiari administranda: hæc imago postea mutata est in ejusmodi *Catenas*, quæ æquè flexibiles & articulatæ essent; easdem postmodum cœptum & gemmis internitentibus formare, & varia corallia, ac tandem uniones ad eundem usum destinare. In Moschovia, pauperiorum filiæ, quibus alius ornatus deest, gerunt circa colla filo trajecta capita serpentum, ut Valachicæ nostræ infilatas cochleas marinas minores.

Equitum Velleris Aëtidis *Catena* merè aurea, exhibet figuræ chalybis igniarii & pyritidum; habet insuper sæpe repetitam crucem literæ X, simillimam, quale Andreæ Apostoli patibulum fuit; utrumque in memoriam, quod author hujus ordinis, voluerit flamas circa corda, contra Turcas gerere; & Andream venerari, qui in Colchidis confinio Salvatorem prædicavit. Angli Equites acceperunt *aureum collare*, in modum peri-

ſceli-

ſcelidis, cum interpositis *Rofis*. Equites Italici, ordinis Annunciationis B. Mariæ gerunt ex cervice dependentem *auream catenam* nodis penè Gordiis distinctam, quæ inscriptas habet literas F. E. R. T. initiales harum vocum: *Fortitudo Ejus Rhodium Tenuit.*

Ordo Equitum Čanis habuit peculiare colli decus *capitibus Cervi* variegatum. Equites Spicæ usi sunt collari ex *aureis Spicis* confecto. Fuerunt quoque Equites, qui solâ *fasciâ* sunt usi à cervice dependente, aut etiam ut plurimum à sinistro humero ad dextrum latus descendente, alii cæruleâ, alii rubrâ, alii aliâ. Si quis Hispanus Rubræ Fasciæ Eques Regius, sub alio, quam equestri, vexillo militare sibi præsumat, cogetur anno integrō tantum dimidia parte *Fasciæ* uti. Collare Equitum S. Johannis est *flagelli ac vinculum* Salvatoris nostri symbolum. Quicunque Equitum se probat solenniter creatum, ei concessum

cessum est auream catenam quadrin-
gentos aureos pendentem , gerere.
Generosis alias , sed non-Equitibus ,
non licuit ullâ catenâ in torneamentis
uti. Doctoribus quoque concessus
catenarum usus , sed minoris pon-
deris.

Hodie vix est integrum , nisi Di-
gnitatis aut officii ratione *Clinodia* in
pectore gestare. Virgines tamen in
solennitatibus pro fortunarum ratio-
ne aureum , argenteum modò solidū ,
modò geminis distinctum , pectori af-
figunt , quod vel infimis ejus sexūs
non est infrequens. Certè vix ali-
quam Saxonicam in Transilvania sine
illis videoas usque ad ancillas , quæ vel
ex stanno & plumbo Digniorum au-
rum imitari malunt , quam penitus
carere. Burgundicæ *catene* ima pars
suum præterea habet pensilem orna-
tum , *Agnum aureum* , cum vellere au-
reо Argonautico , cum inscriptione :
Pretium non vile laborum. Ordo Ed-
vardi

vardi III. Regis Anglorum appendit pectori imaginem S. Georgii Draconicidæ. Equites Balnei dicti in Anglia, gerunt signi loco *medalionem* ē rubro vinculo pendulum, cum elogio: *Tria in unum juncta.* Spiritus Sancti ordo gestat in *stellata cruce*, albissimō metallico pigmento, seu encausto decorata, *columbam*, quā etiam ipse Rex, quando coronatur, ornari solet. Equites Johannitæ, incedunt cum *cruce octangula aurea*, albō encausto superpicta, sed nobiles solummodo ex līs; nam cæteri inservientes, & omnes ii apud eos, qui per septennium hostes fortissimi Turcarum extiterunt, accipiunt à Magno Magni ordinis Magistro, talem, sed *dimidiatam* saltēm *crucem*, pectoris ornamentum. Veneti dant Equitibus, in honorem sui Divi Marci *Leonem alatum*. Equites Elephantis, Canis, Navis, Liliorum, Pomi, Albæ Aquilæ, Cygni,

quibus quisque signis sint conspicui,
facile conjici potest.

Maximis Germaniae Principibus
magnæ semper gloriæ fuit, aureum
& gemmatum ad cor aut pectus *antependium* habere, sœpe quoque plura
& diversa. Fuit integra familia Ma-
crinorum, quæ hoc singulare habuit,
ut Alexandri M. vultum in auro &
argento, utriusque sexûs hominibus
appenderet. Veteres Imperatores Ro-
mani fuerunt soliti, imagines suas ad
exercitus urbesque præcipuas mitte-
re: non dubitatur, quin etiam eadē,
ut *antependia*, sint data. Quis non
vidit Tabellarios suorum Dominor-
um Insignia ad cor gestare. Copia-
rum pedestrium musici solent tot ma-
gna *argentea signa* ex collo pendentia
habere, quot magnis præliis inter-
fuerunt.

Summi Sacerdotis populi Israëliti-
sacrum Pectorale continebat Urim &
Tummim ex gemmis duodecim stem-

matum, cum literario Signo. Ita gerunt ex collo digniores Clerici in Moschovia *tabulam pendentem*, cui inscripta sunt Præcepta D E I. Judices Ægyptii habuerunt *ex aurea catena* variis lapillis ornatam imaginem aliquam, quam Veritatis appellârunt. Hungaris veteribus fuit in more, ut Sponsus suæ dilectæ, idolum alicujus D E I argenteum donaret, in signum contracti matrimonii; similiter & Sponsa sibi copulando Sponso: hoc appensum gestârunt semper, quamdiu uterque viveret. Episcopis tribuitur *aurea crux*, cuius stipes perpendicularis longior est collateralibus aliis, talibus & Principisæ aliæque Catholicæ Heroïnæ se muniant. Galliæ & Angliæ Reges, quando strumas de more tetigerunt, singulos aureos nummos, ex singulorum tactorum collo, suspendere solent. Ceremonia autem Regia, curandi strumas, hæc ferè est: In Sacello

27. die Octobris Concio habetur. A Concione Rex in conclave quoddam Aulæ se recipit, in Sella confidet, quibus struma miraculosè curanda, adducuntur omnes per Chirurgum: mox Theologus quidam prælegit ex Matthæo quædam, & Rex manu tangit strumam. Theologus ad singulorum ægrorum accessum, repetit verba: *Imponunt manus & sanabuntur.* Postea singulis appenditur aureo numerus. Tandem peracta ceremonia, cantharus aquæ & pelvis afferuntur, & Rex lavat manus.

Peregrinantium religionis causâ, aliqui habent dependentes ex collo magnos lapides; alii crucem; alii Agnum Dei; alii reliquias Sanctorum. Appendunt præterea sibi aliqui varia superstitiosa, contra morbos, contra armorum vires, & contra infornia alia. Appenduntur quædam etiam in ludibrium & poenam, ita mulieribus rixosis applicantur in publico,

co, de collo dependentes *magni lapi-des*: ita olim Nobiles refractarii apud Francos & Svevos coacti fuerunt *ca-nem* per stadia portare humeris; ministeriales *sellam*; rustici *rotam atra-tri*. Quædam etiam Dignitatis no-tæ ad pectus non appenduntur, sed acu affiguntur, quales in Serenissimo-rum Electorum vestibus observare li-cet. Sic Equites Johannitici gerunt in veste circa regionem cordis affi-xam *albicantem crucem*; Equites Teu-tonici planè *candidam*; Hungarici *viridem*; Equites Sancti sepulcri *ru-bram* duplicatam.

Sunt etiam *claves* inter pensilia, sunt illustrium etiam officiorum si-gna. Omnes certè Cæsareæ Majesta-tis & Regum & Magnorum Princi-pum Camerarii, qui olim præpositi Sacri cubiculi dicti, habent ex latere pendulam ex catena aurea *auream cla-vem*, in aureæ dignitatis symbolum, quòd nec pulsatō ostiō, nec veniā per

alium impetratâ, jus intrandi in suo-
rum Principum cubicula, habeant.
Alii tamen etiam non-Camerarii, cu-
biculo saltèm & pecuniæ Principum
præfecti, *clavem ferream* ex aurea ca-
tenula pendulam in dextro latere ge-
runt. Papa Romanus ex patrimonio
Petri accipit *claves duas*, auream unam
& argenteam alteram, perpetuum
Pontificatûs Insigne: quod præcipue
indè à Paschalis II. Papæ temporibus
invaluit, qui præter *claves* etiam *se-
ptem sigilla* de zona pendentia gesta-
vit. Turcis persuasit Muhamed cœ-
lum materiales habere *claves duas*, u-
tramque *auream*. Hodie Guberna-
tores habent portarum publicarum
claves, sic olim Tribuni militum.
Abbes quoque & Piores gerunt
sui quisque Cœnobii *claves*. Ostiari-
is Clericis, cùm ædes sacras custodire
teneantur, in ordinatione, *clavis*
dari solita. Olim fuerunt *claves* uxo-
ribus à maritis datae, collatae admini-
stra-

strationis familiæ symbolum additis verbis: *Ubi ego Cajus, tu Caja.* Hinc inter Svecos atque Gothos sic allocutus est Pater puellæ Generum suum: *Trado tibi filiam uxorem, quæ medium lectum habeat, & substantiæ trientem, ac januarum claves.* Repudiatis, sunt *claves* prorsus ademptæ. Hodieque in Germania videoas virgines juxta & maritatas, jam ex catenis argenteis, jam ex ligulis, pendulas ad latus *claves* gestare.

Veniam ad sinistrum latus, *gladiis* indè pendentibus dicatum; quamvis olim multi Romanorum, *gladios* promiscuè nunc ad dextram, nunc ad sinistram alligatos gesserunt altrinsecus: quidam verò singulos ex singulis lateribus pendulos. Hungari equitantes, ex dextro longissimum, ex sinistro verò breviorem pendere volunt. Romanorum Imperatori noviter electo, solet in Solennibus *ensis* cum *balteo* applicari. Quidam ex Pa-

pis & cæteris Magnis Clericis etiam
armati in publico conspecti. Non
nullibi moris est Senatores, Advo-
catos, Doctores, Patricios atque ali-
os, cum pallio *gladium* quoque simul
gestare. In Scotia temporibus belli,
non-gladiatus incedens infamiae no-
tam incurrebat. *Ensem*, in celeber-
rimo armamentario Electorali, Bero-
lini, ad murum pendentem, semper
tremulum, sinam ibi moveri. Qui
olim in Hibernia præ aliis voluit su-
perbire, adnexuit *gladio* suo majorum
animalium dentes. Cum mortuis
etiam nonnunquam *gladii* sepeliuntur,
ita superponuntur loculis, dum
funus efficitur nobilium aut militum,
& suspenduntur non procul à monu-
mento. Multi generosi juvenes in
Germania *gladio* utendi jus non ha-
bent priùs, quām à Domino, cui in-
serviunt, solenni alapâ id ipsis fuerit
concessum.

Omnia pensilia instrumenta vilio-
rum

rum hominum, longum, nec adeo uile esset recensere. *Corallia Pater nostrica* cum adpendēte imagine Crucifixi gerunt Catholici, ex brachio ut plurimum, nonnunquam etiam ad latus. *Nodati funes* flagellō aurigæ duriores dependent ad latera Monachorum. *Pharetra* cum arcu & sagittis ex humero gentium barbaricarum, cuj^o loco *Carbineros*, ut vocant, pariter *Pensiles* portant equites hodie, & vas cum pulvere sulphurato, continens globulos aut pilulas fatales; sclopétarii pédites verò habent funē igniferum & pulveris pyrii capsulas. *Bucinatores* veniunt cum suo instrumēto musico martiali ad tergum suspenso; *venatores* ad dextrum latus *Cornu*; *veredarii* quoque aliō *orichalceō*. *Tonsorib^o* pendet non procul ab umbilico *cos coriacea*; *Laniis* ad latus *chalybea*. *Mulieribus* adpendula conspicitur *balsamotheca*. Nec dicā, quòd *Lipsienses* in *Saxonia* teneantur sem-

per ex patibulo ad minimum semi-
put cadaveris humani pendulum ha-
bere.

C A P U T X I I I .

*De Manualibus orna-
mentis.*

QUædam in signum Dignitatis ac muneric manu , in primis dextrâ, tenentur. Hic quoque Majestas nulli cedit , nec Majestatis nota , *Imperiale* nempe atque *Regium Sceptrum*, ex auro ut plurimum conflatum pretiosissimis interfulgentib⁹ gemmis: quô, quasi per virgam, cuncta compescere Imperantes videntur. Tale est in manibus omnium ferè Regum , quando inaugurantur: adhibentur etiam in Solennibus omnibus majoris momenti. Dantur etiam nonnunquam in manus Reginarum: hoc fuit Semiramidis emolumentum ex interitu Nini.

Magnæ clementiæ olim nota fuit ,
quan-

quando Principes alicui *Sceptrū* tangentum porrexerunt. Hinc Gentes *Sceptrum* Jovis adoraverunt. Fuit certè *Sceptrum* indè ab antiquitate Dignitatis Regiæ signum: in cuius summo apice solita fuit poni Ciconiæ figura ob admirandam atque imitandam avis pietatem; in imo verò Hippopotamus, animal ferum & impium, imis calcibus conficiendum.

Galliæ Reges accipiunt *Sceptra* duo, summitas alterius, quod Rex gestare solet, tenet *Lilium ex auro*; alterius verò dextram, duobus cum pollice digitis erectis, fidei signum. Ita dantur etiam Angliæ Regibus duo *Sceptra*, Britanniæ integrum, Galliæ verò fractum, ad quam recuperandam hoc symbolō monentur. Inter Electores, unico Serenissimo Brandenburgico *Sceptrum* dextrā tenere competit: quod tamen Duci Juliacensi, cùm Imperator feuda concessit, etiā datum est. Ex Constantini Magni

concessione, *Sceptrum* quoque, quale Imperatorium, Papæ tributum, fertur. Et hæc omnia aurea. Dantur verò & argentea, qualibus in Academiis Magnifici Rectores, in solenni processione, solent uti.

Apud Trojanos *Sceptrum Regium* nihil nisi hasta fuit; nihilominus tamen *Sceptrum* dictum à Græcis. *Sceptrum* triumphantis in urbe Roma, fuit eburneum in summa extremitate figuram Aquilæ habens. Poloni & vicini iis Hungari semper ferè manu gerunt ponderosam satis metallicam clavam (vulgo *Busiganum* vocant:) ut indè assūescant promptius *acinaces* *graviores* circummagere. Prisci quoque Saxones armati, tenuerunt dextrâ magnam militarem *clavam*, longis acuminibus circumdatam, quales hodie sunt, quæ *Stellæ matutinæ* vocantur. Electores Brandenburgici olim, loco hodierni Sceptri, *Clavem* gerebant manu. Alii quoque *Claves* fuerunt

runt solennia manualia. Quis vidit unquam pictum Petrum , sine manu-
ali *Clave* ?

Palla, *Sphæra mundi* seu *Pomum Imperii*, aureus nempe ille globus cum cruce superposita, idem quod aliorum Sceptra, imò plus notat. Hujus *Pomi* usus initium dicit à magno Legislatore Justiniano Imperatore, cuius erēta statua prima, tali Sphæra fūerat ornata , qualem pleraque hodie Imperatorum Statuæ & Imagines ha-
bent. Alii tamen Theodosii & alio-
rum nummos Justinianō vetustiores afferunt, idem exhibentes. Impe-
rator inaugurandus hoc *Pomum* tene-
re solet Majestaticā dextrā. Elector
Dux Bavariæ accepit cum munere Pa-
latini hujus *Pomi* gestationis jura. Por-
tugalliae Rex quoque de eo gloriatur,
eò quòd Novi Orbis primus fuerit in-
ventor, operā Columbi. Principes
& Civitates idem nummis suis curant
imprimi, eò indicantes, se subiectos
esse

esse Imperio Germanico. Magni Ducis Moschoviæ manuale est in sinistra *Crux aurea*, gemmis pretiosissima; in dextra *Salvatoris imago*.

Gladii sunt propriè Virorum, danturque iidem Principibus in signum justitiæ & superioris potestatis. Reges Hungariæ inaugurandi olim, equò citatō volabant extra urbem, in aliquem collem, cuius quatuor angulos versus quatuor mundi plagas percutiebant, quasi Turcam iis ditionibus exuturi. Hodie solent quatuor ictibus ad totidem mundi plagas aërem dividere, mox à Corona impo-sita capiti, neo-Reges. *Gladius*, quem Imperator coronandus habet, est nulli secundus: hunc, quando Princeps investit, manu tenet ipse, & *gladii* caput Vafallis osculandum porrigit. Saxoniarum Elector etiam quantum ad *Gladium Imperii*, est Cæsaris Vicarius, à quo *Gladium* accepit ad Vandulos ethnicos eradicandos: hinc in aeti-

in actibus solennibus strictum *gladium*
Imperatoris præfert, & duobus *gladiis*
decussatæ crucis in modum dispositis,
Insignia sua exornat. Quando Prin-
cipum imagines aut Statuæ *gladios* sur-
sum tenent, signum est, eorum tem-
pore ductuque bella gesta esse: si ve-
rò mucro *gladii* sit ad pedes positus,
significatur istam ætatem tranquillam
satis extitisse: idem denotat *gladius*
in *vagina*. Idem *gladius* porrò in
dextra bellum, in sinistra pacem si-
gnificat. Cùm Fridericus Imperator
Daniæ Duci Regis titulum donaret,
misit ipsi præter *Coronam* etiam *Gladi-*
um. Principum Ecclesiasticorum in-
vestitura, non quidem fit *ensis* porre-
ctione, nihilominus Episcopis & Ab-
batibus aliquot peculiare est, altera
manu *gladium* tenere, altera *pedum*.
Nuperrimò Belgicò bellò misit ipse
Papa Episcopo Monasteriensi *ensem*,
quò contra hæreticos uteretur. Mi-
litum, qui equò merent, Præfecti du-
cunt

cunt & castigant suos, *gladiō* vaginā
vacuō. Monomachiam solenniter
ingressus folet evocando adversario
sicæ suæ longitudinem indicans filum
mittere, aliis *rubrum*, sanguinis; ali-
us *nigrum*, mortis symbolum.

Sunt etiam Magnæ Civitates, quæ
imprudenter insontem damnando,
aut dolosō factō, jus *gladii* amiserunt:
ita Amsterdamensibus non licet pecu-
liarem habere carnificem, sed solent
Harlemensi uti. In Gallia omnis No-
bilis damnatus, punitur *gladio* capita-
li; in Anglia vèrò *securi*. Regis Pe-
gu manuale est *securis*, quam Justitiæ
& Concordiæ dicunt. Equitum, qui
torneamentis interessē vellent, *gladios*
illi actui destinatos, oportuit es-
se latissimos; sed acie & mucrone desti-
tutos, nè quis indè nimis læderetur:
ita etiam in gladiatorum Scholis. Ma-
nuales sunt quibusdam in primis Ec-
clesiasticis *baculi*, quibus *sicæ* inser-
ta est.

Prisci Teutones, non habuerunt *gladios*, quorum locō longis *fustibus* & *lanceis* in mucrone ferrō munitis, usi sunt, armorum etiam nomine *venientibus*. Hinc fluxisse videtur, quod *baculi* hodieq; manu gestentur. Imperatori quoque suus est Imperatorius *baculus*. In Anglia *baculi* in solennibus sunt Insigne omnium ferē majorum Dignitatū: sic dantur Equitibus Balnei dictis, *baculi albi* gestandi. Valliæ & Asturiæ Principibus inaugurandis, solet *virga argentea* tenenda à Rege porrigi. Papa Romanus habet ingentem *baculum aureum gemmatum*, ex continuatis crucibus efformatum. Episcopis data sunt *peda*, superiùs *incurvata*: ita scilicet formata ad retrahendos ovium errantium pedes.

Mareschalli in aulis veniunt magno pretiosoque *scipione* muniti, præcedunt dapiferos, & pulsant eō ostium: ut quisque sibi, datō signō, cavere pos-

possit, nè obviis obsit. Summi militiæ Præfecti seu Imperatores, portant breves sed *crassiores baculos*, cæteri inferiores, longiores, quibus castigant gregarios diecto non audientes. *Vitis* olim suit Insigne & gestamen Centurionum in Romana militia, quô milites, si cives essent, sunt soliti cædi. Quos Nobiles Carolus M. limitibus Judices præposuit, iis tradidit insignem *baculum*, cum inscripione secundæ Tabulæ Decalogi. Alii quoque Judices confueverant in judicio *baculum* tenere, quem tangere debebant, qui sanctè aliquid promitterent. Hodie adhuc passim receptum est, ultimâ sententiâ ad mortem damnato pronunciata, à judice *bacillum candidum* & omnem spem veniæ præcientem, frangi.

Baculus Mosis tot miraculis clarus, fecit usum *baculi* apud Ægyptios Magos, quod etiam imitati Medi & aliæ gentes: hinc est salutis signum *baculus*
Æscu-

Æsculapii, quem ramulis semi-amputatis nodosum geffisse scribitur, cui generofus serpens lubricis amplexibus inhæsit: quod certè videtur provenisse à serpente Mosis commorsis Judæis adeò salutifero. Hinc fictus est *baculus* Circæs; hinc habent multi Germanorum *virgulam* *divinatricem* thesauriferam. Videas variè ornatos *baculos* in solennibus Papistarum processionibus, quibus instructi singuli pompam istam peragunt. Ut nihil addam de *baculis* religionis ergò peregrinantium, de *baculis* & *subalaribus fulcris* infirmorum ac mutilatorum.

Sunt præterea alia Maximis Principibus & peculiaria *manualia ornamenta*. Electoribus Ecclesiasticis, summis Imperii Cancellariis, tribuuntur officii intuitu, Imperii *codicilli*, & *baculus argenteus* cum adpendulis *Sigillis*; Seculares quoque Electores singuli, electo Rege Romanorum, equis insiden-

dentes, quædā officiū ratione ferunt: Palatin⁹ Elector *Coronam Imperialem*; Archi-Pincerna Rex Bohemiæ, in argenteo vase *vinum aquâ dilutum*; Archi-Dapifer Elector Bavarus, quatuor *patinas argenteas*; Archi-Mareschallus Saxo, equorum curam gerens, *baculum argenteum & mensuram avenâ repletam*; Archi-Camerarius Brandenburgicus, *pelvim cum aqua*, ad manus abluendas. Archi-Thesaurarius Palatinus præter *Coronam*, *missilia* portat rubrō holofericō saccō contenta.

Rex Monomotapæ solet ipse duplex Insigne gestare, parvum argenteum *ligonem* cum eburneo manubrio, & duo *jacula*: *telis* ostendit, se vindicem esse scelerum, & debellatorem hostium; *ligone* excitat populum suum ad necessariam agriculturam. Romanus Triumphator tenebat manu palmeum triumphalem *ramum*. Nihil hic addam de longis *bartis* vel *ba-lebar-*

lebardis veterum ; de *tsakanis* Polono-
rum ; de *clavis* Hungarorum ; de
variè nodatis *flagellis* Turcorum ; de
virgis equitantium ; &c.

Magna est gloria Magnatibus, Mo-
nachorum *Monstrantiam* sive capsu-
lam Eucharisticam elevare ac portare,
& Judæis *Totam Legem* membranæ in-
scriptam in Synagogis tollere. Sin-
gulis præterea Clericis, præcipue in
ordinatione, sua sunt ornamenta ma-
nualia, *p. a.*, *sudaria*, *claves*, *codices*,
candelabra, *luminaria*, *urceoli*, *calices*
cum *patinis*, *mappulæ* & alia ejusmodi.
Simulacra insuper varia & *labara* seu
vexilla in circuitionibus publicis. Ju-
dæis vel saltèm tetigisse volumen Le-
gis in tantum est venerabile, ut ma-
num post contactum lambant & ex-
osculentur. Ita etiam Catholicis re-
liquias tetigisse Sanctorum, tantoque
magis in manu habuisse. Mulierum
manualia ordinaria passim sunt *umbra-
cula*, tum ad solis radios à facie abar-
cen-

cendos, tum ad auram fronti refrigerandæ conciliandam. Habent tamen Gallicæ suum *manuale tegmen* Æthiopum more, ex manu ascendens in umbellam, contra pluvias. Sunt ex opificibus quidam, quibus nunquam fas est, sine instrumento artis suæ, in publico comparere; talia sunt mallei, trullæ seu cochlearia calcifera, baculi pedales architectorum, secures, regulæ aut normæ ferreæ, & multa id genus alia.

Præferri etiam solent *manualia* quædam Dignioribus. Imperatori Romanorum præfert Elector Bavarus auream Imperii *Pallam*, & Saxoniæ Elector *Ensem* æquè aureum. Hodie præfert Maximo Leopoldo in Aula Vienensi *Gladium*, Supremus Aulæ Mareschallus Comes de Dietrichstein. Veteribus Imperatoribus Romanis solita erat præferri *aurea Securis*. Electoris Brandenburgici nomine prælatum eidem Sacratissimo Leopoldo inaugu-

inauguratione incomparabile illud *Sceptrum*. Elector Palatinus, ut suprà dictum, prætulit *Coronam*. Solēt verò in tali inauguratione Electorum munere Illustrissimi eorundem Vicarii fungi. In expeditionibus est veteribus Imperatoribus à Sacerdote *Crux* prælata. Camerarii Papam in humeris portare soliti, gestant in Solennib⁹ singula argentea *Sceptra*, quibus unus rubrâ togâ indutus prælongam *auream* gemmis optimè ornatam *Crucem* præferre solet; aliis *auream Rosam*; aliis *Gladium*; aliis *nigrum* pretiosissimum unionibus circumdatum *Pileum*; & alii quidam *candidas Pavonum caudas*.

Hungariæ Regi jamjam coronando præfertur Presburgi carpento imposta *Corona*, ab arce usque ad templum S. Martini; postea gestant decem Summi Præfecti singula *Vexilla*; deinde aliis *Cistulam* aurō decoratam; aliis *Crucem*; aliis *Gladium*; aliis

Sceptrum; tandem pompæ colophon
Palatinus Regni, *Coronam*. In Sve-
cia gestant quinque maximi Ministri
singula Symbola Regni; Dapifer *Co-
ronam*; Mareschallus *Gladium*; Ar-
chithalassus *Sceptrum*; Cancellarius
Pallam; Thesaurarius *Clavem & Re-
gium ornatum*. In Polonia præferun-
tur Regi *Sceptra* à Mareschallis; non
tamen, nisi jam coronato, aut ante
coronationem, ad terram inversa.
Daniæ Regi coronando præferuntur
usque ad Templum Marianum *Gladi-
us*, *Palla*, & *Corona*. Regibus Ju-
dæorum olim *Scuta* sunt solenniter
antelata. Quilibet, qui Lord Major
est in Anglia, habet aliquem, qui
Gladium ipsi præferat.

Triumphatori Romanorum præfe-
rebantur varia ex præda hostibus ere-
pta, etiam *Tabulae* historiam ejus bel-
li indicantes; *Corona* non præfereba-
tur, sed tenebatur supra caput ejus.
Fasces securibus alligatos habuerunt
in li-

in libera Rep. Romani: ut dum tardius solverentur, haberent spatiū deliberandi, nec sese temere, irati præcipitarent. Dictatori soliti sunt vingtiquatuor *Fasces* anteferri; Consulibus duodenī; Prætori *Sex*: ita ut omnes in eadem linea irent, & lictorum alter alterum sequeretur. Papalis Dignitatis ornamenta sunt: *Stola Papalis*, *Sandalia* cruce signata, *equus albus*, *triplicis crucis prælatio*.

Cardinalibus præfertur nonnunquam *rubrum Pulvinar* & *Sceptrum* & *oblongus crassissimus Baculus*, cum Insignibus ipsorum. Marchioni, Præsidi Regii Curiosorum Collegii Londini præfertur *pulvino* ex rubro holoferico confecto impositum deauratum *Sceptrum*. Illustrissimo Principi Cancellario Universitatis Oxoniensis præferuntur quatuor *Sceptra* simul, à quatuor Pedellis: in Academiis Germaniæ præferuntur duo à totidem Pedellis, aut unicus saltèm. In omni-

bus Belgii Academiis gerunt Pedelli, locô *Sceptrorum* nigros ex optimo ligno *Baculos duos*, quibus inter alia multa argentea ornamenta etiam Insignia Provinciarum adpendent. Franequerana tamen & Noviomagensis Academia, nonnisi unicum ad eundem modum confectum & ornatum habet. Doctoribus creandis solet nonnullibi *liber*, aliis in locis *Vasa* chirothecis distribuendis plena, praeter *Faces* anteferri. Magno ordinis Maltensis Magistro præfert quidam ex Equitibus *nigrum* aurô distinctum *Bacillum*. Turcarum Sultani Primo-genito jam jam circumcidēdo, præferuntur triginta pedales *Faces* gemmis ad luxum ornatæ. Ita olim *Sponsæ* Romanæ præferebantur, praeter *colum*, aliquot ardentes *Faces*. Funeribus quoque passim, dum efferuntur, *Faces* atque *Cruces* apud Catholicos; apud alios Illustriorum Dignitatis symbola seu *Insignia*, in tabulo præferri videoas.

CAPUT XIV.

*De Insignibus, E*I. *De Scutis.*

AQuissima rerum mater Natura, omnes homines produxit æquales, eademque est omnibus nascendi conditio: sed universi requirit ordo, & fatalis rerum humanarum necessitas, ut alii alios dignitate, jubendiq; authoritate p̄tæcedant. Hinc mortaliū industria symbola quædam invenit Dignitatum; quæ sensibus cunctorum patentia civilis societatis ordines atque Familias distingverent, & hominum animos, æmulationis studiō ad virtutes gloriamque æternā incitarent: quæ symbola magis propriè **INSIGNIA** vocata. *Insignium* certè originem ab ipso Jacobo Patriarcha accersimus, qui liberorum sortem, fortunasque per domos singulas certis emblematisbus distinxerat,

Gen. 49. quod ad alias quoque gentes derivatum postea est.

Maximus tamen *Insignium* usus in armis fuit, utpote quibus militiae ordo continebatur, equitum vexillationes, legiones, cohortes, duces, aliquique distinguebantur: unde *Insignia* militaria dicta, imò *Insignia* pro armis, clypeis, eorumque notis usurpata. Hinc factum, ut collapsò Imperiō mos ad nostra usque tempora dimanaret, ut arma quoque gentilia aut gentilitia, quæ alias Familiaria etiam dicta, *Insignium* appellatione communiter definirentur; cum revera *Insignia* nostra nihil aliud fuerint initiō, quam arma à majoribus in speciatæ alicujus virtutis memoriam servata, ac ad posteros transmissa. A rudioris ævi Scriptoribus *Intersignia* quoque nominantur, item *Signa*, *Notæ*, *Symbola*, *Ornamenta*.

Partes, ex quibus *Insignia* constant, sunt *Scutum*, *Colores*, *Galea*; & quæ his

his accedunt, *Lemnisci* seu *Vittæ*, ac *Figuræ*. *Scutum* hīc primas tenet: hinc integra *Insignia* solent sāpenu-
mero *Scutorum* venire nomine; nam sunt præcipua *Insignium* pars, quin aliquando solum *Scutum* *Insignia* ab-
solvit. Apud Romanos distingue-
bantur *Clypei*, *Scuta*, *Parme*, *Umbones*,
Ancilia; quæ tamen inferior ætas con-
fudit. Duplex ferè olim *Scuti* genus
erat, alterum *ovatum* ab ovali figura,
alterum *quadratum* in modum januæ
(unde θυρεὸς Græcis) sed incurvum
instar imbricis. Fuerunt autem *Scuta*
vel tabulata coriō superinducta; aut
nervis ferrōque firmata; aut ex mul-
tiplicato corio, cui lamina ærea su-
perinducebatur; interdum *Scuta* et-
iam ex viminibus texta ac coriō tecta.
Fiebant etiam *Scuta* ex ære pondero-
sa, quale illud Goliathi, ut servō ba-
julō indigerent. Alexander Magnus
milites suos argenteis induit; & hinc
Argyrapidas appellavit. Magnusq;

apud antiquos *Scutorum* honos: hinc legislatores pœnam statuerunt in eum, qui *Clypeum* in bello projecisset; nullam verò in eum, qui gladium aut hastam.

Alligabantur autem *Scuta* loris plerumque sinistro brachio, aut eadē manu tenebant à dextra colli parte versus sinistrum latus dependentem clypeum: unde ansa, quā teneretur, fuerat clypeo subnexa. Illa rotundæ figuræ *Scutella*, quæ in veterum cataphractorum Heroum humeris & pectore picta conspiciuntur, fuerunt ab ordinariis *Scutis* diversa. Ad turri Davidis & circa muros, fuerunt olim Hierosolymis *Scuta* suspensa, in eorum ornamentum, in memoriam Heroum & necessitatis casum: sic adfixerunt etiam Romani hostibus adempta, foris ad limen. Olim Dux Belli electus *Scuto* imponi atque in sublime humeris sustinentium elevari, inq; gyrum circumagi, fuit solitus. Ita

& Re-

& Reges inaugurandi *Scutis* imponi soliti.

Scutum hodie ferè in *Insignibus* solum cernitur apud Europæos, estque nihil aliud, quam Tabula, cui fortissimorum Heroum aliorumque Excel-lentissimorum eruditorum honores inscripti sunt: unde posteri majorum egregias laudes, quasi per traducem discant, conservent, augeant. Quamvis autem diversæ ita *Scutorum* formæ, pro cujusque arbitrio fingantur; quatuor tamen præcipuè eorum species sunt, quibus universa Europa distinguitur. Germani utuntur *Scutis* ut plurimum triangularibus, quorum anguli duo superiores recti, inferior in rotunditatem inflectitur, lateribus utrinque incisis, in modum veterum Anciliorum. Galli & Angli olim quidem *Scutis* verè triangularibus ad formam Delta Græci inversi ▽ accedentibus usi sunt; quæ superiori seculô in quadrata mutârunt; quorum

tamen etiam pars inferior leviter in rotunditatem inflexa in cuspidem definit. Italorum *Scuta*, ovalia plerumque sunt, aut ad ovalem figuram accendentia. Hispanorum verò, parte superiori ad quadratam, inferiori ad rotundam figuram accedunt.

Diversitas autem horum *Scutorum*, à rebus fluxisse videtur, quæ in iis exprimuntur: Aquila namque biceps Imperii Germanici, illam, quam diximus, formam desiderabat: Tria lilia Gallorum in trigonum positæ, figuram triangularem: Ad referendū Castellum (propter Castiliæ Regnum) illa Scutorum Hispanicorum figura est omnium convenientissima: Ovalis Italorum, quibusvis rebus recipiendis apta, veterem Romanorum quaquaversum potentiam referebat. Gerunt etiam nonnulli plura, eaque diversa, *Scuta* simul; quod patet in Principum quorundam *Insignibus* seu Armis: & tunc non omnia eodem modo &

dō & situ posita ; quædam enim sunt
rectâ fronte conspicua ; alia , in qui-
bus unum latus patet , alterum latet
magis , & dextrum solet ut plurimum
magis abscondi ; alia verò se intuen-
tur invicem . Ir̄ vertuntur etiam *Scu-
ta* nonnunquam prorsus , inferiori
parte sursum versâ : sic olim transfu-
ga & fugitivus *Scutum* invertere coa-
cti fuerunt , donec hoc dedecus egre-
gio aliquo facinore correctum fuisset .
Amazonum bellica *Scuta* feruntur
quadratâ Rhombi figurâ fuisse ; indè
datur hodie quoque in Imperio Ger-
manico Fœminarum *Insignitus* tali fi-
gura : & vitium HERALDICUM est ,
marium Insignibus eam simpliciter
tribui .

Nostrorum *Scutorum* intelligentia
in eorum divisione maximè con-
sistit , quam , multiplicem esse , Prin-
cipum in primis *Insignia* docent : in
quibus tot Principatum Feudorum-
que symbola , suis quæque locis re-

posita, videmus. Omnis autem hæc divisio fit ope quatuor linearum, perpendicularis scilicet, horizontalis & diagonalis duplicis, à dextra nēpe ad sinistram, vel à sinistra ad dextram, hoc fundamento: Nam *Scuta* in bellis ad declinandos à corpore iectus hostilium armorum adhibita fuerunt: Certum autem est, non unum cædendi modum esse; indè *Scutæ* non potuerunt esse semper ab eodem latere divisa. Nam ut Pugilum termini habent, si gladiō ab adversarii latere dextro ad sinistrum, diagonaliter quasi, sursum cædas, *cæsto Prima* ipsis vocatur; si ad diametrum, *Secunda* & *Quarta*; si ad lineam perpendicularrem descendentem, *Tertia*; si verò ensem à sinistro hostis genu ad dextrum circiter humerum feras sursum, *falsa Quarta* nuncupatur; è transverso verò ab humeris descendentes cæsiones, solent *Bastardici* vocari. Sic ergo, quo iectu *Scutum* incisum fuit,

per-

permansit idem conspicuus, in virtutis & promptitudinis se conservantis gloriam: & abiit in notam divisionis *Scuti*, atque ita fieri cœpit, ut hæc pars hōc, alia alio colore notaretur. Hinc Gallis (qui supra omnes alias nationes *Insignium* rationem excoluerunt, & scriptis tradiderunt) ad perpendicularum secans linea, *Partitio* dicitur; diametralis, *Cæsura*; diagonalis à dextra, *sectura*; à sinistra, *seatio*, qui termini licet synonimi videantur, certain tamen singuli divisionem notant.

Fiunt aliæ quoque *Scuti* partitiones, scilicet vel vulgari crucis formâ, vel decussatâ, quæ Andreæ crux solet appellari, interveniente. Non nunquam, quanquam id rariùs, dividuntur etiam in octo areolas, utraque cruce simul transeunte; cæterū in tres æquales partes quoque partitiones fiunt, quasi *palò* intermediò vel *fasciâ* vel *barris*. Observantur

hodie plurimorum Principum & Illustrium *Scuta* partitionibus & cæsuris aliquot simul in multas partes, &, ut vocant, *campos*, *areolas*, *loca*, *puncta*, *ordines*, *alveolos* cancellata esse: quod olim adeò moris non fuit. Solent autem singulis ejusmodi *campis*, singula peculiaria nomina, maximè à Gallis, dari, ut: Honoris, Faciei, Umbilici, Clunis, Medii, Dexteri, Sinistri, Inferioris, Cuspidis &c. *Caput* seu *Vittam Scuti* appellant eam divisionum speciem, quando *Scutum*, alterius coloris fasciam in suprema parte conspicendam tenet. Si *Scuto* parvula superjecta sit unica, vel plures, pariter divisæ, vocari solent nominibus à principali *Scuto* diversis; cum revera sint additamenta, symbola scilicet, vel Dignitatis vel Offici, vel etiam meriti cuiusdam, nonnunquam quoque Conjugum aut confœderatorum Insignia continentia.

Conjuges, uno cōdemque *Scuto*,

am-

amborum symbolicas figuræ comple-
xuri, dividunt illud lineâ perpendiculari, in duas æquales partes: quarum dextram maritus, sinistram uxor occupat, suam quilibet sedem. Hinc conceditur cælibibus maribus, ad eundem modum divisum *Scutum*: cuius dextra area ipsius Insignia contineat; sinistrâ, pro sperata Sponsa, purâ relictâ: & vice versa in Rhombo virginum, ut dextrum latus vacuum, futuro conjugi servetur. Alii findunt *Scutum Tertiâ*, cæduntque porrò *Quartâ* in quatuor plagas: primæ plagæ dantur Insignia Mariti; alteri ad sinistram, Uxor. Quæ sub plaga Mariti in tertio *Campo*, iterum repetuntur, ut & in quarto. Alii duobus utuntur, singuli singulis integris & peculiaribus *Scutis*.

I I. *De Galeis.*

Expositis *Scutis*, imponendæ iis *Galeæ* sequuntur. His, primis temporibus, soli milites usi, æquè ut *Scu-*

Scutis ; inservieruntque Capiti, ejus tegimen, præsidium & ornatus erant : adjici deinde solitæ Insignib^o, in symbolum fortitudinis militaris. Hinc in Germania etiam hodie in memoriam Heroum cum aliis defuncti armis, non procul à sepulcro ad Templorum parietes appendi solent ; imò non nunquam imponuntur mortuorū capitibus, & cum iisdem sepeliuntur. *Galeæ* olim Romæ cum aliis spoliis ab hoste domum reportatæ, exponebantur ad limen, ad posterorum imitationem & reportantis gloriam.

Veteres bellatores pellibus inducebantur ad incutiendū hosti terrorem, hinc etiam *Galeæ* iisdem ex pelle : unde & *Galeæ* nomen à fele sic dictum, quod ex pelle felina fieret, communiorque ea esset ; licet caninarum, mustelinarum, taurinarum & caprinarum sit apud vetustum Homerum mentio. Postea cœperunt *Galeas* ex metallis fingere, ac maximè omnium

pla-

placuere terreæ. Sed accuratè loquendo *Galea* sit de corio; *Cassis* de lamina. Varias autem præcipue apud Græcos & Romanos *Galearum* fuisse figuræ, docent numismata infinita, lapides item & columnæ. Hodie Insignium nostrorum *Galeæ* duum cernuntur esse generum, apertæ & clausæ: Apertis seu perforatis nobiles à plebeis discernuntur, & sicut nobilitatis, ita & *Galearum* apertarum gradus constituti sunt: ita Regum *Galea* omnino aperta est, & hinc secundum Dignitates, eò quod Ductoris sit conjicere oculos in omnes partes, ut quicquid factus opus sit, advertere & imperare possit. Gregariis, qui clausis usi *Galeis* nonnisi sequendi Duces & iis parendi gloriâ relictâ: ideoque etiam majorum Potestatum *Galea* omnino recta est, non vergit in hoc vel illud latus, ut liber sit quaqua-versum pariter prospectus: quæ vero dextrum vel sinistrum latus respiciunt *Galeæ*,

Galeæ, limitatam potestatem denotant, & potentioris imperio subjectā.

Cancelli præterea in *Galeis* & laminatione observandæ, quæ bucculis earum præfigi solent: nam ut Regum *Galeæ* penitus apertæ sunt, ita Ducum undecim clathris patent; Marchionum & Comitum superiori non subjectorum novem; reliquorum septem clathris, non quidem rectis, ut illorum, sed obliquis & ad latus vergentibus distinguuntur; sic Baronum quinque, Equitum & Nobilium tribus cancellis obliquis exornantur: atque & hoc cum discrimine, nam filiorum naturalium *Cancelli* non dextrum latus, ut legitimorum. sed sinistrum respiciunt. Reliquam turbam virorum, qui quidem Nobiles non sunt, sed iisdem cum Nobilibus prærogativis ferè gaudent, quales Mercatores & Senatores Insigniores, oportet ordinariè clausam, in Insignibus suis, grillis omnino destitutam, licet oculis & ori foramina relin-

relinquantur, *Galeam* gestare. *Galeis* additur *Crista* sive *Apex*, quō milites in bello maximē discernebantur & exornabantur: & *Crista* per excellētiam *Insigne* Romanis scriptorib⁹ vocatur. Fiebant autem *Cristæ* plerumque ex setis equinis, eratque nonnunquam *Crista* triplex. Hodie ad eundem ferè modum *Galeæ* Struthionum pennis exornantur. Ita olim Cares quia in *Galeis* gallorum pennis superbirent, Galli votati. Nec penas tantūm, sed integras quoque aves *Galeis* imposuere veteres, qui horribilium quoque ferarum effigies & ritus, terrori hostibus incutiendo, *Galeis* suis addiderunt. Hinc in nummis antiquis, Græcorum in primis, Leonum, Gryphum, Sphingum, Chimerarum, Sirenum, Pegaforum, Piscium, Aviumque variarum effigies in *Galeis* observamus. Eadem coronis, laureis oleaginis, querceis & radiatis ornari solitæ. *Galea* autem in In-

in Insignibus non semper una, Principes enim Imperii cum primis, tot *Galeas Scutis* suis imponere solent, quot Feudis investiti sunt. Ecclesiastici *Galeas* Insignibus suis non addūt.

III. De Tenuis five Lemniscis.

Lemnisci in Insignibus vocantur quibusdam *Vittæ*, aliis *Laciniæ*. Sunt qui *Laciniæ* tales, pennas interpretentur, sunt qui folia; neutrū tamen bene, si prisca requiras. *Galeæ* enim olim cùm ex radiis solaribus magno splendore coruscarēt, & com militonum oculos in acie perstringerent, in hujus mali remedium solebant pañeis obvelari tegminibus, sicut etiam, nè pluvia aut exedenti sensim pulvere corrumperentur. Hæc *Galearum pallia* sunt tandem variis hostium armis, secta, perforata, lacerata, ut flantis venti ludibria fierent, & ora infima variis *Laciniis* divisoretur. Hinc tanquam singularis fortis

fortitudinis emblema, ad Insignia Heroum, cum *Galeis* ipsis translatæ *Laciniæ*.

Lemnisci autem dicti absolvunt eam Insignium partem, quæ ordinariè à fronte *Galeæ* descendit, & magnam Scuti partem utrinque ambit; non desunt tamen, qui circa Scutum tegmine seu *Lemniscis* utantur, licet fortè Insignia *Galeâ* destituta sint. Ita dissecta verò *Galearum* ornamera, ab accuratiорibus, solis Generosis tribuuntur: hominibus verò in nobilitate novis, & ut ita dicam, militibus togatis, nonnisi nova, integra ac non dissecta. Sunt etiam Familiae, quæ ex una *Galea* dissectum, ex altera, in alio latere, integrum pallium seu tegmen, gestant. Nonnulli gerunt, loco dicti Pallii, à *Galea* utrinque dependentem *Fasciam* sive *Ligulam*, unam pluresve. Quomodo & Magnatum Ecclesiasticorum Infulæ & Scuta gemmatis fasciis, anteriores

res stolæ partes aut eorum cingulum & strophiola repræsentantibus ornari solent. Nec desunt Insignia, quibus non *Galeæ pallium*, sed longissimi *Capilli humani Laciniarum* locô sunt; aut unâ quidem *Galeâ laceratum pallium*, alterâ verò dictum *capillitium*. Nec semper *Lemnisci* promittuntur ad utrumque latus; sed sequuntur non nunquam *Galeas* retrò. Et licet nulla prorsus *Galea* Insignibus adsit, ut sit aliquando; notantur tamen ejusmodi defluentes *Lemnisci*, aut *Fasciæ*, aut *Ligulæ*, &c. pileis, mitris, &c. substratæ, vel nudum Scutum coronantes.

IV. De Coloribus.

Colores, HERALDICI dispescunt in propriè sic dictos & metalla. Olim fuerunt maximè *rubeus*, *cæruleus* & *niger* in usu; ille effusum sanguinem, iste vibices, hic mortem pro patria significabat. *Flavus* atque *candidus* colores non recepti pro Insignibus

gnibus, nisi fortè Figuris quibusdam nativi essent: at ipse Scutorum Campus nunquam his vestitus, sed eorum locò *Auro* aut *Argento*, quæ sola ex Metallis Insignia ornare solent. *Viridis & purpureo* olim spreti, quia mixti ac ficti; fuerunt tamen postea & hi Colores recepti, ut & *rosaceus*, *puniceus*, *hermineus* aliique.

Color colore per se non videtur dignior, nec potest in se consideratus alter alteri postponi. Nec omnes Principes iisdem delectati coloribus, sed diversis diversi placuere. Omnes ejusdem ergo aestimationis, sed non omnibus æquè concessi; cum alii diversis rebus gestis, diversam quoque diversæ gloriae tesseram sint promeriti. Ita videmus nigrum in Aquila Imperiali primas tenere. Veteres quoque Silesii & Scuta & corpora propria atro colore tingere soliti, ac obscura nocte descendere in certamen, ut tetri-co aspectu horrorem hostibus incutient.

rent. Ita Saxones ante Carolum M.
nigrum in clypeo *equum*, gentis Insi-
gne gerebant; quem, ad Christum
conversi ex gentilismo, in *candidum*
mutarunt, hodieque, imprimis Du-
ces Luneburgici in Insignibus & nu-
mis retinent.

Color colori non potest superstruī;
nec metallō debet induci metallum:
quæ perpetua est regula Heraldicorū.
Potest tamen aurum argenteam am-
plecti figuram, & argentum auream.
Possunt etiam diversi Scutorum cam-
pi diversis variari coloribus metallisq;
ut infinita testantur exempla. Ita li-
cet insitam figuram diversis exprime-
re coloribus, anteriorem quidem hōc,
posteriorem aliō: licet & pallii scu-
tum circumdantis, unum latus hōc,
alterum aliō, aut colore aut metallō,
exhibere.

Neque prætereundum, diversâ li-
nearum ære vel lignō incisarum po-
siturâ, eleganter hodie Insignium co-
lores

lores indicari: Scutum enim vel Fi-
gura aliave Armorum gentilitiorum
pars, alba seu pura relicta, *argentum*
denotat; punctulis notata, *aurum*;
indefinitus perpendicularium linea-
rum numerus, *rubeum* colorem re-
præsentat; horizontalium, *cæruleum*;
diagonalium à sinistro descendentium,
viridem; & diagonalium à dextro de-
scendentium, *purpureum* colorem si-
gnificat; *nigrum* efficiunt perpendi-
culares & horizontales, minutatim
se se intersecantes. Septem enim or-
dinariè Colores Insignium composi-
tionem ingrediuntur, quinque nimi-
rum propriè dicti, *cæruleus*, *purpure-
us*, *rubeus*, *viridis* & *niger*; & duo me-
talla, *Aurum* & *Argentum*: quibus
addunt duos pannos subdititios, *Her-
mineum* seu *guttatum* & *Varium* seu
variegatum. *Hermineum* constat ex
pelle muris Pontici, qui toto corpo-
re albus est, & nihil nigri habet, præ-
ter caudæ extremitatem: quam reci-

sam pelli hinc inde assuere, siveque eam
quasi maculis quibusdam nigris con-
spergere solent: hujus meminit. Ta-
citus in Germ. Cap. 17. *Varium* con-
stat ex quatuor pluribusve seriebus fi-
gurarum, formam minimarum cam-
panularum & cucurbitarum inversa-
rum, referentium, colore regulari-
ter *cæruleo* & *argenteo*, distinctis.

Horum Colorum tot possunt esse
significationes, quot sunt hominum
affectus & opiniones: quæ quo pro-
piùs ad rationem accedunt, & rerum
naturam clariùs exprimunt, cò ha-
bentur pulchiores: ut cum nigredine
in luctu, & albedine ad animi cando-
rem indicandum utimur: sic rubor
audaciæ militaris, viror spei, purpu-
ra pudoris, *cæruleus* color sanctitatis
aurum sapientiæ &c. symbolum ha-
betur. Ita diversorum colorum qua-
emblematibus distincti cernuntur li-
bri, in longè celeberrima Bibliothec.
Electorali Brandenburgica; quæ est Co-
lonia

Ioniæ ad Spream. Theologorum Libri *Cæruleo* notati omnes, utpote quorum est cœlestia meditari; Jurisconsultorum, cum circa sanguinem versentur, *Rubro* insignes; Medici, cum maximam remediorum partem hauserint ex herbis, *Viridi*; Politicorum Librorum classis ornata *Purpureo*; Mathematicorum *Flavo*, ad aurea sydera & varia orichalcea instrumenta notanda; Miscellanea scripta non aliis potuerunt rectius, quam mixtis indigitari coloribus.

Mutantur Insignium Colores nonnunquam in virtutis præmium: sic Witekindus Saxo à Carolo Magno ad Christianismum conversus candidum loco nigri, ut suprà tetigi, in Equo gentilitio colorem accepit. Sic Domus illustris Mechlenburgicæ Cornua Bovina aurō obduci voluit Carolus Imperator ejus nominis IV. Ita in perpetuam Augustæ Domus gloriam Austriacorum Insignium color muta-

tus est. Quin etiam transferuntur aliquando Colores, aut superadjiciuntur alii novi, in bene-meritorum gloriam & præmium, aliorumque ad virtutes stimulum. Sed mutantur etiam sæpiissimè in pœnam. Nec defunt exempla, quæ tamen afferre, nec licet, nec libet.

V. *De Figuris Insignium.*

QUICQUID præter *Scutum, Galeam,*
Coronam & Lemniscos in Insigni-
bus delineatur, *Figurarum* venit no-
mine. *Figura* autem Insignium esse
potest, quodcunq; pingi potest. Scu-
ta tamen sæpe *Figuris* destituta pror-
sus, eaque partim constanter, qualia
veterum pleraque; partim ad tempus
saltèm, qualia exspectantium tyro-
num & virginum: quarum Scuta
dextrum latus purum, futuro mari-
to sacrum, ab ejusque armis demum
describendum, reservant.

Primæ Scutorum *Figuræ*, maximèq; genuinæ, fuerunt ab hostibus data *vulnera*, ac *cicatrices*, *hostiles sagittæ*, *jacula*, *fractarum hastarum partes*, ipse certaminis actus, spoliorum deportatorum pars, *membrum amissum* adversarii, vel proprium, vel equi &c. vel aliud aliquod fortitudinis signum, vel officii, vel ordinis symbola: quæ omnia maximè propriè Insignium *Figuras* constituerunt. *Figuræ* autem tales, vel à majoribus ad posteros cum Insignibus traductæ, vel propria virtute acquisitæ. Utrumque legitimè; nam hæreditaria posterorum gloria est, facinoris majorum notas gerere, suntque illis incitamenta virtutum.

Figurarum autem ordines ita dispescimus: Primus est earum, quas ipsum Scutum continet; Secundus, in quibus Scutum continetur; Tertius, *Figurarum* Scutum tenentium, quæ sustentacula, Atlantes & Telamones

Insignium vulgò vocantur ; Quartus, superiorum Galeæ Figurarum.

Quantum ad primum , mos fuit veteribus Romanis, nomina militum, Præfectorum, Provinciæ ipsius, & numerum Legionis aut cohortis Clypeis inscribere : ut cuilibet commilito suus notus esset ; nè in certamine à se invicem per tumultum aberrarent. Quod & in effossis in Transilvania rüderibus vetustis observamus ; singulis enim lateribus coctilib' inscriptum legimus : L E G I O XIII. Hinc colligimus illa grammatothemat, aquæ hodie jam satís vulgaria sunt , qualibus & Magnates in annulis suis signatoriis utuntur, non aliquid novi esse ; nisi quòd olim non adeò artificiosis , ut hodie , circumflexibus, nodosisque amplexibus cancellata fuerint. Hinc & Mercatores suas notas cum uncinis & literis traxerunt.

In Scuto potest vel unica *Figura*,
vel

tot, quot areolæ sunt, contineri; imò eadem areola sive regio Scuti, potest ipsa in plures subdividi, ac singulæ ejus partes singulas aut plures notas comprehendere: exempli gratiâ, vel rei alicuius præclarè gestæ signum, aut stemmatis gentilitii, aut subditarum ditionum, aut in alias prætensionum, aut aliarum rerum.

Qui integra Insignia sua non hæreditario jure tenent, nec ad suos consequēter posteros traducere possunt, sed ad Regiam, Principalem aut aliam, vel Ecclesiasticam vel Politicam Dignitatem liberis suffragiis electi sunt; in suæ stirpis signum Insignibus Dignitatem Statuum votis obtentam comitantibus inserere solent: ut cuique notificant, quis impræsentiarum hoc summo munere fungatur, & quidem peculiari Scutellō in medium Insignium collocant, tanquam cor seu medullam reliquorum. Ita collocatos videmus Palmites Apafiorum,

Rotam Rakocziorum, Grues Bethleinorum, Ungves Bathoreorum, in clitorum Transilvaniæ Principum.

Diximus secundò, ipsum aliquando Scutum in Figura contineri. Sic Aquila, Imperii Romano - Germanici symbolum, non didicit Scuto inscribi; quin ipsa gerit in pectore gentilitia Insignia Imperatoris, atque non raro in liberrimè expansis alis etiam arma Electorum. Ita placuit & aliis non nullis maximis Principibus, in Aquila aliave sua ipsorum Figura, extra Scutum libere expressa, suorum Insignium varia Scuta distribuere. Luculentum ejus exemplum exhibit Potestissimi Electoris Brandenburgici Sigillum, Scutis gentilitiis plus-min^o vinti quinque in passis unicipitis Aquilæ alis expressis, superbum. Immediate Imperio subjectorum nobilium singuli circuli, gerunt in aureo clypeo Aquilam Imperii inclusam, singula Insignia in pectore gerentem.

Ita

Ita & Imperii civitates in numismati-
bus, Insignia quæque sua, in Aqui-
læ medio locant.

Tertius ordo Figurarum cernitur
in *Sustentaculis*, quæ etiam *Atlantes*
dici possunt, & *Telamones*, & *Colossi*. O-
riginem horum à Ludis equestribus
petimus, in quibus olim servi & pe-
dissequi, Angelorum, Deorum, Æ-
thiopum, Hominum Silvestrium, Le-
onum, Ursorum, aliorumque anima-
lium specie, hilaritatis ergò induti,
Equitum Scuta circumferre consue-
verant. Sunt etiam res aliæ, quæ
Insignibus interdum apponi solent:
Sic interdum Tentoria sive Papilio-
nes Insignibus sumorum Princi-
pum adduntur, quæ cœli instar hæc
contegant, & alia honoris imprimis
symbola.

Sustentacula autem ista aut Figuræ
tutelares, tanquam Insignia defensu-
ræ, aut saltē eorum splendorem
aucturæ, accesserunt. Suntque ali-

quando cum Insignibus ipsis ejusdem generis & sexus; aliquando planè diversi. Item *Atlantum* alii tenent aliquid armorum aut aliis rei, ut videamus in pedibus Aquilæ Imperialis; alii verò prorsus nudi: alii præterea integri; alii cum corporis dimidio saltèm addi soliti, maxima ex parte stantes, pauci sedentes, paucissimi observantur jacentes. Omnes autem ferè Scutum tangunt leviter; rares, qui aliquò spatiò à Scuto distingvuntur; rarissimi, qui Scuto ita inhæreant, ut ipsum Scutum, quasi ex *Atlantum* humeris excreuisse videatur. Aliis denique Insignibus duo, aliis unicus, aliis nullus, quò subnitantur, *Atlas* concessus. Omnes autem *Atlantes* gerunt utrinque sibi invicem objecta pectora, quamvis non semper vultum; cùm liceat animalibus motò quasi collò circumspicere.

Quan-

Quantum ad ordinem *Figurarum*
 Quartum, in more positum esse con-
 stat, apud multos populos, non so-
 lùm Fœminis, sed etiā viris, in capiti-
 bus ponderosiora onera gestare; ita
 veteres ab hostibus reportata spolia
 Galeis supernè applicabāt; ut cuique
 conspicua esset & præda, & authoris
 bellica virtus. Hinc mos ad heraldicos
 fluxit Galeas, superimpositis notis &
Figuris ornare: quæ ut plurimum stan-
 tes, rariūs jacentes pingi solent, præ-
 cipuè si animal designent: constanter-
 que observant, ut dextram versùs
 aspiciant; contrarium verò Bastardis
 datum est, corum *Figuras* sinistrorum
 se convertere. Sic debet animal et-
 iam in vexillis, capite hastæ vexilli
 obversum esse: ut ipsum quoque ho-
 stem aggressurum videatur, non au-
 tem tergum dare; nisi fortè plura se
 invicem intueantur, quod dum fit,
 & imparia numerō sint, media anima-
 lis figura rectâ collocatur, cæteræ eam

utrinque aspicient: Si verò paria sint numerò animalia , utrinque debent pares medium interstitium inter se relinquere ; ita tamen ut se mutuò intueantur , nec terga obvertant.

Aquila Romana ut plurimum intuetur dextrorsum *Gladium Saxonicum* , sinistrorum verò *Sceptrum Brandenburgicum* : estque erecta , quali omnes *Aquilæ* hodie in Insignibus situ sunt. *Leo* in Insignibus nunquam retrospicere debet ; nè , nisi unicus oculus observari possit , ut à *Leopardis* discernatur , quos inversò collò fingi pingique HERALDICI jubent , ut uterque oculus patere possit : & præterea semper in *Leopardis* exprimi debent mascula membra , ut à *Fele* distinguantur : cui licet utrumque oculum exprimi concedant , negant tamen penem.

CAPUT XV.

*De precipuis Insignium
Exemplis.*

Inter Principatus hodie eminent Imperium Romano-Germanicum, reliquiae pristini illius Imperii, quod universo penè terrarum orbi leges quondam dedit. Romanis antiquitus varia fūere Signa militaria, quæ exempli gratia: Lopus, Minotaurus, Equus, Aper; quæ tamen omnia Marius secundo Consulatu suo abdicavit, & Aquilam Romanis Legionibus propriam dicavit, quæ tanquam proprium Imperii Signum ad nostra usque tempora mansit. Sed jam ante Romanos Aquila in pretio fuit; Persarum certè militare signum, ut & Epirotarum, quod nummi eorum clarissimè indicant. Horū exemplò fortè & Romani Eam susceperunt, tanquam Jovi tributam, aviumque Reginam.

Aquila autem militaris Romanorum, fuit Aquilæ aureæ imago, in ædicula quadam collocata, quam gestabat spectatæ virtutis miles, hasta purâ suffixam, cuius inferiorem partem cuspidatam in terram adigeret. Sacellum venerationis causâ adjectū, Signa enim militaria Deorū instar coluere Romani. Sæpius sertō circumdabantur hæ Aquilæ, & suppositi hastis orbes aurei vel argentei affigebantur, continentes imagines Cæsarum humerotenus expressas: contrâ illorum Imperatorum imagines, quorum memoriam damnatam volebant milites, à signis detrahere moris erat. Hinc factum, ut Judæi, qui hanc iconolatriam abominabantur, exercitui Romano per Palæstinam transitum aut negarent, aut seriò deprecarentur, nè Terra Sancta pollueretur. Ex hac castrensi religione ort⁹ Signorū amor, & deserendi eadem nefas, primum & summum militiæ vinculum. Aquilas certè

certè amissas ægerrimè ferebant Romani: unde Augustus in Bello Mutinensi, cruentus & saucius Aquilam à moriente Signifero traditam, suis humeris in castra retulit. Quem morem servandi signa hodierni quoque vexillarü retainent, qui cùm ad supremum ventum est, nec servari posse vexillum vident, eò involuti mortem expectant.

Hodie Imperii Romano-Germanici Insigne est *Aquila biceps*, id est, duobus collis & capitibus integris ornata, expansis in cœlum alis, nigra tota, in campo aureo. Hujus originem alii derivant exinde, quod Arminius Saxo, Romanis, cæsò Quintilio raro cum tribus Legionib^o, duas Aquilas, id est Signa militaria eripuisse; nam tertiam Signifer Legionis tertiae abstulit, nè in Germanorum manus veniret, alias hodie tres in Insignibus Imperii Aquilas habitudi. Verior tamen est opinio eorum, qui

qui ad Carolum Magnum bicipitis Aquilæ originem referunt, sub quo primùm, Imperium Occidentis ab Oriente separatum est: cùm enim expulsis Italiâ Longobardis, Occidentis Imperator esset salutatus Carolus, Signa quoque & Insignia Imperii usurpare cœpit, Aquilæque dimidium, quô divisum cum Græcis Imperatoribus Imperium Romanum indicabat, Insignibus Galliæ suæ adjecit: Scutô linea perpendiculari in duas æquales partes distinctô, quarum prior Aquilâ dimidiâ cum capite integro, Aquilæ scilicet modernæ dimidio; altera Liliis Gallicis notata erat. Hinc, cùm in sequentibus temporibus Regnum Galliæ ab Imperio sejungetur, locô Liliorum, Imperatores, alterum Aquilæ dimidium, priori simile, cùm capite alio integro adjecerût, quô antiquum Illud etiam penè colapsum Romani Imperij corpus, à duabus capitibus seu summis Principibus regi

regi denotarent; quorum alter Ori-
enti præsit, alter Occidenti. Et hæc
est Aquila biceps Imperii: quam Jo-
hannes Basilides Moschoviæ Tyran-
nus, qui ab Imperatoribus Romanis
ortus videri volebat, Imperii Moſcho-
vitici Inſigne etiam fecit; quæ tamen
non in cœlum, ut Germanorum, sed
terram versùs alas protendit.

Galliae Inſignia communiter sunt
Liliorum flores. Numerus autem *Li-*
liorum in Inſignibus Regum Galliae o-
lim indeterminatus fuit, unicum etiā
non raro illos usurpasse monumenta
docent: Carolum VI. ternis primūm
ufum fuisse communis est opinio.
Liliorum autem originem communi-
ter ad Clodovæum Regem ad Christi-
anam fidem primūm conversum refe-
runt: qui devictis Alemannis à bello
redux, atque à Remigio Remorum
Episcopo ex voto baptisatus, abjectis
idololatricis Childerici Patris inſigni-
bus, bufonibus ſcilicet ſeu potius api-
bus.

bus, quas in honorem bovis Apis
DEI sui gestaverat, svasu dicti Epi-
scopi, suæ salutis Angeli, *Lilia* susce-
pit, Christianæ puritatis symbolum.
Hinc invaluerunt in Gallia *Lilia*, et-
iam Principum Sangvinis ibidem no-
tæ, quæ etiam in posteros suos legi-
timos transmittunt. Quin, ut Im-
peratores *Aquilam*, ita Gallorum Rex
Lilia solet bene-meritis concedere.
Hinc inter prætensiones in Argento-
ratum, nimiùm Galliæ vicinum,
motas, & *Lilii* fuit mentio; quòd
ab antecessoribus Galliæ Regibus ipsis
concessum sit, nec potuerit, nisi in
ipsum jus exercuerint.

Regni Navarræ Insignia Galliæ Re-
ges hodie *Liliis* suis conjungunt, *duo-*
decim nempe *poma* cum Stellæ figura,
seu potiùs catenæ in Stellæ figuram
utrinque clausæ. Postquam enim San-
ctius VIII. Navarræ Rex circa Añum
M. CC. XII. Miramolinum Mauro-
rum Imperatorem ingenti præliò vi-
cisset,

cisset, in quo CC. barbarorum milia perierunt, urbe etiam Tolosa undique catenis clausâ occupatâ; hinc catenas aureas in campo rubro, cum Smaragdo iisdem catenis inserto, Insignibus Navarrenis primus intulit.

Galliae finitima est Hispania: quæ in universum olim quidem *cuniculi*, hodie *Crucis* specie denotatur, quam cœlō delapsam, & per miracula ab Angelo obtentam prædicant. Hispania verò cum in plura Regna divisa sit, quæ cujusque propria sint Insignia, videre, operæ pretium erit. Exhibet omnia Thalerus Hispánicus à cruce cruciger dictus, in altera facie, ubi videmus Scutum Regium in quatuor partes principales dispesci: quarum prima pari modō quadripertita; parte primâ & ultimâ in quatuor iterum regiones subdivisis alternatim, Castelli & Legionis symbola præfert; secundâ & tertiatâ Arragoniæ & Regni Neapolitani; &c.

In di-

In dictis Hispaniæ Insignibus, Regni Castellæ signum est Castellum initio statim positum; à Castello autem denominatum ob castellorum frequentiam, quibus olim irruptionib⁹ Maurorum cohibendis Regnum illud erat munitum. Legionis Insigne est Leo. Legionis illius signum, quam Trajanus in Hispania colloca- verat, Leo inquam ruber in campo albo. Arragoniæ Insignia à parte Scuti sinistra initio occurrunt ibidem, quatuor pali rubei, in campo aureo. Sequuntur ibidem Neapolitani Regni Insignia, Scutum cæruleum Liliis Gallicis conspersum, quibus rastrum rubrum in summitate adjicitur. Sici- liæ arma quadrisida cernuntur, con- stantque alternatim ex Aquila & pa- lis Arragoniæ: Jacobus enim Arra- goniæ Rex ducta nepte Friderici Im- peratoris, Aquilam & palos decussa- tim positos conjunxit. Granatæ Re- gno novem Granata sive mala Punica in-

ca incisa tribuuntur. In Insignibus verò Regum Hispaniæ unicō saltēm malō denotantur. In secunda ac ter-tia Scuti quadrifidi parte , Hispaniæ Reges gerunt fasciam Austriæ, Lilia ac bandam Burgundiæ, & Leonem Bra-bantiæ, superjecto scutō Leone Flandriæ & Aquilâ coronatâ Marchiona-tûs Antverpiæ insignitò. Serpens quo-que Mediolanensis in Scutulo peculia-ri adjicitur , ut & quinq; clypei Por-tugalliæ. Hæc omnia habet Thale-rus cruciger.

Portugalliæ sive Lusitaniæ Regnum ab Hispania hodie separatum, proprio-que Regi parens , peculiaria quoque Insignia usurpat ; quinque *cærulea* *Scutula* in area argentea decussatæ cru-cis in modum disposita : Scutulis ve-rò singulis quinque *denarii argentei*, pari ratione dispositi continentur : origo à devictis unâ pugnâ ab Alphon-so primo , quinque Saracenorum Re-gibus. Quibus Alphonsus III. ducta

Bea-

Beatrice Castelli Regis filiâ, limbum castellorum addidit, seu Castellis clypeum Regni undique circumdedit. Johannes III. autem post occupatas Indias Sphærām seu Globum terræ in locum cristæ Galeæ adjecit.

Britanniae Regum Insignia, quatuor loculis hodie distingvuntur: quorum primus & ultimus continent *Leones Angliae* cum *Liliis Galliae*; secundus *Leopardum Scottiae*; & tertius *Citharam Hiberniae*. *Lilia* prætensionem ad Regnum Galliae arguunt. Edwardus enim III. Angliae Rex Philippi Pulchri Gallorum Regis ex Isabella filia nepos, post mortem Philippi Longi & reliquorum avunculorum suorum, Regnum ad se hæreditario jure pertinere contendit; Gallis contrà Filias Lege Salica à Regno suo excludere conantibus. Et adhuc sub judice lis est.

Daniæ Insigne est *Crux*: cuius origo à vexillo à Pontifice Romano Danis contra infideles pugnaturis transmisso,

missio, ut Divini auxilii tesserâ. Propria autem Regni Daniæ Insignia, Crucis vetustiora, sunt *tres Leones* aut *Leopardi cœrulei*, in campo aureo, lachrymis sanguineis, seu cordibus humanis, hinc inde consperso. Norvegiæ, *fulvus Leo coronatus*, securim ungibus tenens. Sveciæ Insignia sunt *tres Coronæ aureæ* in Scuto cœruleo: quæ ab Erico Rege cepisse videntur, sub quo Anno M. CCC. LXXVI. Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ regna in unum coierunt, ea conditione, ut suæ cuique leges sub uno Principe manerent: qui per singulos quatuor menses cum omni comitatu ex uno in aliud migraret, & quæ cuique necessaria essent, prospiceret.

Hungariæ Reges in Insignibus gerunt quatuor *fascias argenteas* in campo rubro, quæ quatuor fluminum Danubii, Savi, Dravi & Tibisci, imagines sunt. Horum authorem Stephanum II. Regem facit Bonfinius

Dec. 2. lib. 1. Præterea *Crux duplex* seu *Patriarchalis* in prima parte Clypeii Hungarici, quam Pontifex Sancto Stephano, quem ex Duce Regem crearat, transmisit, utque illi, ceu Apostolatus Insigne præferretur, concessit: utpote cuius ope multi infideles ad Christum conversi essent. *Aquila* Polonicam primus Lechus Polonorum Dux assumpsit; eò quod cum commoda loca perquireret exstruendis urbibus & arcibus, copiam aquilarum nidificantium, bono auguriō invenisset eō locō, ubi nunc Gnesna vel Gnesdo civitas, quod nidum avium sonat, sita est. Bohemorum *Leo fulvus* caudā bifurcatā in altum erectā in campo candido, Vladislao ex Duce Regi creato concessus fuit à Friderico primo Imperatore; ut monumentum esset virtutis, quam in bellis Italicis Heros ille probaverat. Olim enim Bohemia Ducatus erat, habens Insigne *Aquilam nigram* in campo rubro,

cui

cui Otho I. adjecit *abenum flammeum* in signum Archi-Dapiferiæ, quam Boleslaus Dux in curia Imperiali solenniter obibat. *Calix quoque aureus*, quem Leo Bohemicus pede dextro tenet, Archi-Dapiferatūs symbolum est. Et hæc sunt præcipua Regum Christianorum Insignia.

His Dignitate proximi sunt Electores S. R. Imperii, qui in Ecclesiasticos & Seculares distingvuntur. Inter illos primus Moguntinus *Rotam* sui Electoratūs Insigne habet: quod Willigisium Ottonis III. Imperatoris præceptorem, primumque ex Diœcesi Moguntina Septemvirum, qui patre Rhedario genitus erat, in originis memoriam usurpasse ferunt: & multis in locis pictam sibi velut imaginē modestiæ, ante oculos posuisse, cum inscriptione: *Willigis, Willigis, recole unde veneris, & cogita quis nunc sis.* Trevirenses & Colonenses Electores Archi-Episcopatūs
I
sui

sui Insigne Crucem habent, ille *ruberam*, hic *nigram*, in campo albo. Seculares Imperii Electores, Officiorum suorum Signa Familiarum armis inse-ruere, quibus eam, quam in Imperio obtinent, Dignitatem indigitant. Hinc Pomum Imperiale gerit Bávar⁹; Palatinus Coronam; Brandenburgicus Sceptrum: unde mediò Scuti gentili-
tii Scutulum Sceptrō insignitum im-
ponere solet. Elector Saxonius du-
obus gladiis decussatæ crucis in mo-
dum dispositis, Insignia sua exornat;
unde & Protospatarii nomine gaudet.

Ex Urbibus, Colonia Agrippina
habet pro Insignibus *Tres Coronas*,
cùm asservet Corpora Trium Regum
seu Magorum, in maximo Germaniæ
templo, non procul ab alto, quod
vocant, altari, in unica ingenti me-
rè argentea cista, undique ferrō mu-
nitâ, custodita: quorū nonnisi ver-
tices nonnunquam religionis & cu-
riositatis causâ observare licet: Inter
Medic

Mediolanenses tamen & Colonienses super hoc negotio nata controversia ægre composita fuit ; illi enim olim contendebant, se æquè omnes tres possidere Reges : sed tandem concesserunt, se quidem tria corpora Coloniensi Episcopo donasse, non verò , nisi duo tantum corpora magorum , tertium autem solummodo cubicularii unius ex Regibus fuisse : itaque se ipsos Mediolani adhuc hodie tertium Regem custodire. Altera Colonia , ad Sream vel Suevum , gerit ipsorum Marchionum Brandenburgicorum *ruberam Aquilam*, tanquam Metropolis Marchiarum & Electoralis sedes. Sic ut contiguum ipsi Berolinum, *Ursum*, vulgaris coloris, ab Alberto Urso, urbis conditore, obtinuit. In Belgio, *Stellæ* cum *Gladio* Harlemensiū, denotant victoriam noctu contra Indos obtentam : unde & in ipso celebri eorum maximo templo, naves adhuc suspensæ observantur. Urii

in Helvetia Armis suis tauri Silvestris caput præfixerunt, quòd ex prisconum Tauriscorum numero descendèrent: unde etiam in bello, tubæ locô, cornu bovinô in hunc usque diem confueverunt uti. Innumera alia prætero.

Insignium autem Figuræ, jam ad majorem gloriam, jam etiam in pœnam, variè mutatæ; cùm vel nova Figura prioribus adjecta, vel adempta. Cum nova Dignitate plerumque & Insignia mutari solent, tam in collatione, quam in degradatione; sæpe etiam cum accepto depositove libere officio. Occupatarum Ditionum Insignia solent quoque ut plurimum à Potentibus, suis Armis addi. Sæpe tamen quantumvis amissō locô, & titulus indè olim derivatus manet, & Insignium Figura cum prætensionib⁹: & licet titulō, cumque eo jurib⁹ non nunquam cadant; Figuras tamen indè natas usque retinent. Regnorun^{ele}

electitorum & Principatum Ecclesiasticorum Insignia, toties mutari possunt, quoties ipsis alius, diversæ Familiae aut Dignitatis præponitur; cum ut plurimum indè aliquid addi consueverit. Sic Familia aliqua multum multiplicata nonnunquam in varias lineas abire solet, quarum singulæ sæpe novas Insignia Figuras fortuntur. Quin etiam Insignia alicujus, ex duarum pluriumve diversarum Familiarum armorum Figuris composita reperiuntur. Fortissimis certè militibus solet adhuc hodie Figura Insignium egregio aliquo facinore perpetrato mutari; aut aliqua virtutis nota addi; aut victi vel populi vel herois symbolum huc transponi. Solent verò è contrario non solùm viētis, sed perfidis & improbis etiam Insignia Figuræ deleri, demi, inverti, & prorsus in alias mutari: non modò autem singulis personis, sed societatibus, Civitatibus, Rebuspubli-

cis. Ita olim ob Majestatis crimen
Statuæ & imagines, in quarum locū
hodie Insignia nostra successere, de-
jectæ atque abolitæ. Ita in Scotia ob
conspiracyem Ruvenorum Fratrum
Johannis & Alexandri, Ruvenorum
nomen, tanquam infame & detestan-
dum, penitus abolitum, & gentiles
eorum omnes eō depositō alienum
nomen alienaque Insignia adoptare
coacti.

CAPUT XVI.

*De vario Insignium
usu.*

INsignia sunt vel Dignitatis, vel
Gentis propria. Illius præcipuus
finis consistit in Dignitatis conciliati-
one, & ordinum reipublicæ distin-
ctione. Hinc Romulus cùm nascen-
ti Imperio jura daret, ita illa sacra
fore credidit, si se ipsum Insignibus
venerabilem, cæterisque augustiorem
fecisset. Deinde ex qualitate orna-
mentorum, dignoscitur præstantia
Di-

Dignitatis præ Dignitate : Gentilitiorū verò Insigniū usus est, gentes, regna, principatus, societates, familias & horum jura regalia demonstrare, atq; inter se distingvere. Hinc qui in nomē, ii & in Arina Familiæ succedūt. Nam licet probatio agnationis ab Insignib⁹ desumpta, semper sufficiens & necessaria non sit ; magnam tamen, si res dubia sit, de agnatione indè conjecturam facere, & iisdem vel diversis Insignibus utentes, ejusdem vel diversæ esse Familiæ, pronunciare, ut plurimum licet : & levis aliqua Insignium differentia, accessio, vel diminutio, juri agnationis vel familiæ nihil præjudicat.

Sunt præterea alii minùs principales usus Insignium, qualis est, nobilitatem generis ejusque antiquitatem indicare. Hinc sicut olim imagines, ita hodie majorum Insignia, nobilium atria ornant, funera comitantur, & monumentis affiguntur. Illud

verò merito ineptum judicam⁹, quod quidam volunt, ex rebus in Scutis Familiarum contentis nobilitatis prærogativam arguere, & super alios nobiles eminentiam ; quadrupedia, exempli gratiâ , volucribus, hasque iterum piscibus, & inter hæc aliam rursus alii speciei præferendo ; cum illustrissimas familias fruges, flores, vasa & res alias per se ignobiles, & animalibus postponendas, in Armis gestari constet : è contrâ ignavos quosque ex plebe leonibus, ursis, aquilis & aliis id genus, magno abusu uti videamus. Insignia dein, in templis suspenfa vel picta, ubi res dubia est, juris patronatûs non leve sunt indicium. Cardinales Ecclesiæ Romanæ, Insignia patronorum suorum, quorum ope Dignitatem adepti sunt, in accepti beneficii memoriam, Familiaæ suæ Scuto immiscere solent. Idem Insignia & imagines Regum, quorum factionem tutantur, ad ædes suas suspendunt.

Ipsæ

Ipsæ civitates & municipia Principibus subdita, horum Insignibus utuntur, in subjectionis signum. Hinc Urbs Imperialis censetur, in cuius portis aut ædificiis publicis Insignia Imperii longissimo tempore suspensa fuerunt, nemine ea evertente. Bremenses certè liberam & Imperialem civitatem suam, contra Episcopum prætendentem, hac ratione afferuerunt. Contra eodem argumento Dukes Brunsvicenses Brunsvicum Urbem, armata manu, non ita pridem obtinuerunt. Herodes auream Aquilam templo Hierosolymitano eandem ob causam præfixit, ut esset signum subjectionis & observantiæ erga Rom. Imperium: hinc Judæi cum furiosè eam dejecissent, rebellionis rei peracti sunt.

Quin etiam ex nummorum signo loci dominium arguitur: hinc Civitatis Imperii Erfordiæ libertas periclitatur, eò quòd Archi-Episcopi Mo-

guntini Insignia in nummis & sigillis ostendat. Hæc est causa, quod Venetorum Duci, nè absolutam potestatem spirare videatur, arma familiae suæ, monetis sigillisque imprimere non permittatur. Civitatum verò Imperialium nummi majores, Aquilam Imperii; minores, plerumque Imperiale pomum altera facie expressum habent, in obsequii Cæsari & Imperio debiti argumentum. Hinc numismata ad Insignium cognitionem non parum conferunt: indè discimus etiam vultum Principum & habitum, & nomina ac titulos; Symbola item eorundem, & Deos ac Sanctos Patronos, Conjuges variasque consuetudines.

Solent præterea Territoriorum Domini ad fines regendos in superioritatis symbolum lapideas columnas erigere, in quibus porrò Insignia sua cælant. Ita Statuæ & effigies Principū, cum Scutis Insignia indicantibus, pasim.

sim. Denique res singulæ, quæcunque vel Principis, vel privati alicujus Armis notatæ reperiuntur, ad eundem jure spectare præsumuntur; non tamen qualitercunque affixa Insignia, statim dominium & subjectionem arguunt; possunt enim ornatūs saltē causā comparere. Hinc ad Urbium, Oppidorum, Castellorum portas, Turres, Curias, Templa, Collegia, Telenia, eriguntur Principum Insignia, in superioritatis, proprietatis & privilegiati loci, aut solvendi vestigalis notam: quod & privati imitantur in privatis ædibus suis, proprietatem, conditionem, opificium &c. suis indicantes notis. Constat certè Mercatores & artifices peritos ac probatos Signa sua mercibus imprimere, easq; exinde commendari. Id videmus vulgo in ballis seu sarcinis Mercatorum, sagittiformibus illis angulis & grammatothemate diverso signatis. Denique Insignia interdum etiam ad secu-

ritatem, quam Salvam - Gvardiam vulgò vocant, præstandam parantur, per veli enim vel tabulæ Imperatoris, Regis, Principis vel Reipublicæ Insignibus notatæ impositionem, arcibus, monasteriis, donibusq; concessā, sanctitatem quandā conciliari, nè violari à grassatorib^o possint, res est satīs nota.

Apud veteres, Insignium usus fere consistebat in Signis militari bus, quæ olim variis quidem populis fœni manipuli hastis alligati, aliis equinæ caudæ, aliis fasciæ & alia fuerunt, quæ tandem in quadrata & quasi flammeis acuminibus extensa labara, abierunt: in quibus effigies, nomina, symbola, sancti & emblemata repræsentari consueverū tam in illis pedestrium militum maximis vexillis, quàm equitum parvulis Standartis, ut vocant, & marinis navium variis, maximis scilicet in puppe, mediis & minimis: ut nihil dicam de lamineis ventiscopiis seu verfa-

versatilibus pinnulis, altioribus ædificiis superimpositis. Præferuntur etiam funeribus Generosorum aut summorum militiæ Præfectorum, eorum Insignia referentia, quæ deinceps in templis, in defunctorum memoriam & aliorum stimulum affervantur, pingi & fingi solent etiam in Castris doloris, &c. Et cum quis ultimus Generosæ Familiae sepelitur, Insignia rupta sepulcro injiciuntur, in symbolum deficientis stemmatis, desinentis nominis, nec temerè ab alio usurpandorum Armorum gentiliorum.

Tabularum quoque usum & pretium Insignia fecerunt; nam cum hodie Clypearum vix aliquis sit usus, Insignia in veris solent tabulis pingi, adque ædificia & columnas erigi. Quando Imperii Comitia celebrantur, ita Insignitæ Tabulæ ad parietes affixæ docere solent, qua in domo, cuiusvis ex Imperii Statibus diversorum

fit, quod aliis eo tempore non conceditur. Ita publicæ domus magnarum civitatum hoc modo inscriptis tabulis insignes, ad juvandum in primis peregrinos. Mercatoribus quoque venalia indicantur, ut plurimum tabulis venalia inscriptis: ut & locandæ aedes, musea, equi, currus, naves, &c. Et raritates exoticæ, aut monstra aliqua contemplanda indicantur curiosis, pariter tabulis ea exprimentibus. Imò apud veteres, qui canem liminarem alerent, tenebantur eum in aliqua tabula pictum exhibere, nè quis incautus ab eo laceraretur. Quodque maximè huc facit, notum est communi ferè populorum Europæorum usu, Nobilibus Generosis sepieliendis præferri tabulam, gentilitiis eorum Insignibus splendidam.

Bona quoque mobilia, majora minorave, solent variè Dominorum suorum Insignibus notari. Ipsa Magnatum pilenta talia Insignia circumferunt;

ferunt; aut eorum locō grammato-themata artificiosè Domini nomen circulantia. Extenditurque hoc usq; ad phaleras; quin ipsis equis, aliisq; jumentis Insignia inuruntur. Omnes naves in mari, sunt in puppi certis Insignibus, unde & nomen fortiantur, decoratæ. Tori, culcitræ & id genus alia utensilia, patinæ, orbes, canthari, cyathi & vitrea vasa splendent possessorum Insignibus.

In primis verò Annuli signatorii, gentilitias notas sibi vendicant. Carolus Magnus capiti seu coronidi gladii sui Sigillum insculpi fecerat, hōc ferrō defensurus, quod ejusdem manubriō confirmāset. Et vix aliquem Digniorem propriō sigillō carentem, aut alienō aliquō sigillaturum reperi-as: Alexander Magnus tamen licet literis in Europam curandis sua ipsius Insignia apponeret; certè in iis, quas ad Asiaticos mittebat, devicti Darii annulō usus est. Magni Tartarorum

Chami signaculi character est: *DEUS in cælis, Magnus Cham in terris.* Ju-dæi scribuntur urbis Hierosolymæ ef-figiem in annulis venerati esse. In-signibus mutatis, solent ut plurimum sigillorum quoque figuræ mutari; & quando quis ultimus alicujus Familiæ, quæ jure Insignium & sigillorum usæ est, terræ mandatur, solent etiam ejus usitata Signacula in hypogæum conjici; nè quis falsarius iis uti pos-fit. Sic mortuo Pontifice, frangit Vice Cancellarius eam Bullarum Apostolicarum partem, quæ Papæ no-men tenet. Seneca quoque moritu-rus fregit ipse proprium Annulum.

Aliis rebus Sigilla authoritatis gra-tiâ adduntur; aliis verò ut vinculum & sera sit non omnibus patentium. Solennitatis causâ chartæ aut mem-branæ imposita, aut ex ligulis pen-dula, vulgaribus majora esse solent. Sigilla pendentia ut plurimum in qua-dam capsula servantur & Bullæ vulgò appell-

appellantur. Bullæ autem fuerunt olim quadruplices, aureæ, argenteæ, plumbeæ, cereæ; quibus omnibus Imperatores usi sunt. Aurea olim inter Nobilium saltē & Patritiorum Regalia fuit. In specie autem Aurea Bulla appellatur ille Caroli IV. Imperatoris Liber scriptus in pergameno, in vigintiquatuor foliis, cum cooperatura grossa, in quo scripta erant negotia Sacrum Imperium & Electores ejusdem tangentia; transfixus autem fuit cum filis sericis glauci & rubei coloris, cum Bulla seu Sigillo aureo rotundo Imperiali appendente. Pontificum Sanctionibus Plumbea Bulla adpendet, ex funiculo rubro & flavo colore contorto, à parte dextra D. Pauli, à sinistra D. Petri imaginem, cum nomine Pontificis, ostendens. Plumbeā Bullā utitur etiam Magnus Dux Venetorum. Alii utuntur argenteis, cupreis, ligneis, cereis, aliisque interdum etiam non te-

tectis. Cereâ Bullâ Imperatores olim usi tantum ad Matrem, Uxorem & Liberos.

Ut suprà in Insignibus, ita in Signaculorum Ceris attendendus colo, nec de eo disponere cuivis liberū est. Cera Rubra atque Alba Summis sacra fuit, Imperatori videlicet, Regibus, Principibus, Nobilibus, Academiis, Doctoribus bullatis Rubra Cera dicata. Sunt tamen Magni Principes ac Respublicæ, quibus literas ac acta sua rubicante Cera confirmare vetitum est. Candidâ multi Reges Galliæ, Hungariæ, ut & Duces Mutinæ ac Comites Mansfeldici in signando usi olim. Hodie tamen Flavam, quæ nobis viliis est, ceram, Galliarum Regibus gratissimam scimus. In Sina quoque Flavus color Regius habetur. Cæruleâ uti cerâ, ut singulari privilegiô, Carolus V. meritissimis saltè personis quibusdam, gratiose indultu concepsit. Civitates infidelitatis

reæ

reæ peractæ, Viridi contentæ esse coguntur. Arrisit tamen viridis color etiam nonnullis Regibus Galliæ, aliisque innocentibus. De cætero, Flavam, Viridem & Nigram habere hodie cuilibet integrum est; Nigra tamen maximè lugentium propria. Alii Ceram ceræ inducunt, vel Flavam viridi superinductam signando; vel, ut Senatus Norimbergensis, Flavæ Rubram tegendo, cui usitatum Reip. Sigillum imprimant. Turcæ literas suas formâ oblongâ complicatas induunt capsulæ, magni ad magnos holosericæ, quā locō sigilli umbilicō quodam osseō, tanquam repagulō, artificiosè claudunt.

Atque ita paucis totam ferè Artem HERALDICAM, ab HERALDIS seu Regibus armorum, aut regias currantibus ceræmonias, ita noncupatam, constrinximus, exhibentes hic succum & medullam Eorum, qui de materia ista pleniùs scripserunt. Curiosi-

202 ARS HERAL. CAP. XVI. De vario &c.
riosis & supra ea, quæ à me hīc tradi-
ta sunt, proficere volentibus *Linnae-*
us & *Spenerus* evoluti satisfacient.
Magnæ hoc, quod scripsi, metris spi-
cilegium est. Mihi enim, dum lite-
ratorum hujus ævi *Atlas Hoffmann-*
us, vastum illud Lexicon Histori-
cum, quod stupet orbis, adornaret,
tunc fortè lateri viri adhærenti, deci-
dua polydædali operis resegmina col-
ligere, & augustum, quod animo vol-
vēbam, ædificium, vel angustâ hâc
adumbrare icunculâ, vo-
lupe fuit.



* * * * * - * * * * *

ARMA VIRIQUE.

BUDA, à Cæsarianis Anno
M. DC. LXXXVI. Mensibus Julio
(sub signo Leonis) & Augusto (sub signo
Virginis) obsesta; Mense Septembri
(sub signo Libræ) feliciter
capta.

BUDA caput, sexti sit longa infamia seelli,
Nobile quando jugum, ferre coacta jugum.
Mæstæ oculos vertit nunc huc, nuc pronior illuc,
Captans æthereum, quæ via, præsidium.
Tum LEO votorum & VIRGO pertæsa dolorū
Vim faciunt, prisco ut fidus in erbe locent.
Utri muralis, quæ situm, danda corona est?
Neuter in æquato segnior officio.
Multorū ut certant suffragia, LIBRA resolvit:
Illiæ auspiciis; Illiæ auxiliis.

HUNGARIA restitutô per LEOPOLDUM Augustum Capite BUDA, è mortuis suscitata.

MATTHIA moriēte, omnes (res mira) Leones
Budæ quos aluit regia, morte cadunt.
Nulla cæde; sed officium mandaverat æther
Pendendum tanto, lege pari, Domino.
Quidnunc? Ecce Leo versâ vice belliger exit,
Et vitæ testis, vita fit Hungariæ.

A truce

*A truncō quando lethali vulnere raptum
Jure suō repetit restituitque Caput.*

*Dū truncū Leo Magne animas, vitāq; redonas
Corporis atque Anima, quid, nisi conditor es?*

In CAROLUM V. Ducem Lotharingiae & Barræ; &c. Exercitus Cæsarei Imperatorem, Albarum victorem.

*Albarum domitor vano non omine Quinte,
Lotharingorum portio, CARLE, DUCUM,
Stemate DUX, & quod gravis olim adjecit Avo-
Dextera, transmissō, Rex Solymæ titulō. (rit
Magnorum hæredem magni scripsere nepotem
Majores, magnis magnus ut orbe cluas :
Vix tua at ista putas, cumulū nisi congener ad-
De propriis pariens, quotidiane meritis. (das,
Namq; ut nat⁹ eras, ita crescis ad omnia sūma,
Induperatorem Te Scithica arma stupent.
Cesserunt Albæ, Regalis, Julia, Græca;
Hæc ferrō, Ista animō, ast Illa jubente fame.
Te Duce Carle omnes, albis decorāde quadrigis,
Excussere suum, quō gemuere jugum.*

In Eundem.

*Hic calet, ille riget, dū Te videt, inclyte Prin-
Audet hic, hūc facisin segne coire gelu. (ceps,
Annis digne bonis, Annum in Te cernim⁹, in Te
Ver, Æstas ridet ; tristis & alget Hyems.
Si Annū, circul⁹ es: Quare hunc labor improbe
Sæpe tui similis frondis honore redi. (in orbE*

In

In Comitem FRIDERICUM VETERANI,
Exercitūs Cæsarei per Transilvaniam G E-
NERALEM Commendantem.

VETTERANE Comes paucis cū millib⁹ ause
Tentare, & victas sternere myriadas,
Hoste vel es teste insignis bellator, & ardens;
Tantam at virtutem causa gemella parat:
Nam bellatorem veterana industria format;
Ardentem radians in gremio ignis alit.
Mirer victorē, ipsa cui est VICTORIA (a) cestor⁹
Hūc quidni ardescens flamma medulla siet?

(a) Nomen Comitissæ, perpetuæ in hac
expeditione Mariti comitis, V I-
CTORIA est.

IN COMMISSARIOS

Hendecasyllabi.

LAutum est officii (& ministrat Aule
Augustæ) genus, additumne dicam
Castrensi magè proditumne genti;
Si stat publica militum querela,
Græcis nec Latio antè nominatum,
Nullis Historiis & explicatum.
Commissarius ille vocatur
Vulgò, qui gerit, estque magna turba
Allecta illiciō lucri parati.
Commissarius est, litare doctus



In primis sibi, publico secundo:
 Primus nam numerat, capitque primus,
 Seu farris sit, aeris aut Lyæi
 Flos: vix militibus videre vappam
 Cedit, furfureum & vorare panem.
 Invertit Logicam, docendo, sine
 Intento, media estimanda pluris.
 Commissarius est, novumque nomen
 Græcis, nec Latio ante nominatum,
 Nullis Historiis & explicatum.
 Fit, non nascitur: & parente natum,
 Nec curat, nec anhelat esse, totus
 Fortunæ auspicia estimare doctus,
 Nil, quod non videt, est habere certus.
 Reges Regibus æmulos creari,
 Fortes fortibus editos citari
 Passim legimus; istud ast sepultum
 Cunctis est genus, haud sciuntque chartæ,
 Cum sacris pariter silent profanæ.
 Felix attamen, unctiorque vivit
 Commissarius & Tribuno, & omni,
 Quicquid bellica nominare possunt
 Usquam munera, ad ultimum optionem
 Vel per convitia ista perque laudes.

FINIS.



gloppet in n. ~~st~~ ~~st~~ mirror
In omnia C. lata
Et dudu et viniusuf
Faltas, fogg & pluck
Saricis fr. labo
Fex amis don. olate
Engorrit. & multa pira
Ager. ~~Agri~~ ~~Agri~~ contd.

Item le laudacile
Ortuperat. ab hoc item
ptis ab illa piriaria.
Perit.

Sept. dolens. aut offen-
ditur qis offendit
mas.

Curendo & repele, si
Laetus. & sub
homo complacendo

ndo
a quo
am Le-
secund.

at. Quod animis

adocuit

* sic dicitur Ioh.
xviii. 10. 11.
12. 13. 14.
15. 16. 17.

is illa. locutus in

cum D. na-

in Babylonem ferre, externam & carnalem;
& ad puritatem carnis, mun-

debat acci-

s necessariōnē. Jensher

oblatā esse Sacra. Hoc εν Φα.
q. 1. Tunc ant. Sacrificij Christi propri-
etati figuræ & typi evidenter sequitur; cer-
tum ad minimum conferre debere ex-

da.